

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXX (Fasc. IV) — N. 172
M. A. DECEMBRI MCMLX

PALAEstra LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetas; in Gallia: 8 francs; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcs; in Anglia: 12'5 solidos; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAEstra ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallia: 2'5 francs; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcs; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

Premium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 BARCELONA (10)
vel ad PROCURATORES singularum nationum
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958


Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXX (Fasc. IV) N. 172

M. DECEMBRI A. MCMLX

CARD. ANTONIUS BACCI	193
N. MANGEOT, <i>De Cornelio Tacito optimo rerum romanarum scriptore</i>	195
AE. ORTH, <i>De Ammiano Marcellino</i>	199
B. ACTENSIS, <i>Cur sermo latinus in usum redigendus sit</i>	207
P. BRUNO, <i>Olympia</i>	210
J. ARAMENDIA, <i>Nuntia varia percipite</i>	214
J. M. ^o MIR, <i>Nova et Vetera: Summus sum birotarius...!</i>	215
M. MOLINA, <i>Epistularum eclogarii</i>	223
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	229
BIBLIOGRAPHIA, González, García, Sidera, Censorinus, Aramendía, Tejerina, Caelestis	234
PALAEstra ADULESCENTIUM	
L. KEMPS, <i>De floribus</i>	234
A. SALINAS, <i>Dux vulpium</i>	244
De gentis Fabiae pro patria clade	246
H. H. HUXLEY, <i>Aenigma ex carmine Ovidii compositum</i>	248
Miscentes utile dulci: Muñoz, Beltrán, Latorre	249
Nunc galli concinunt diem	250
Jocosa: Zuasti, López, Cirac	250



Cord. Antonius Bacci
Moderatorkibus Commentariorum
qui Palaestra Latina inscribentes
s.p.d.

Plurimas vobis grecas ago ob
humanissimum litterarum
officium atque ob vota et
omina, quae mea causa
uncupassis.

Vobis gratulator admodum, pri La-
tinitatis causam - hodie
pro dolor a multis neglectam
tam de te, diligenter, animo =
seque proferitis. Agile ip-
fur pro viribus, una nobiscum,
ut Romanus seruus & vinculum
:

unitatis et la gloria sacerdotum,
ut summi Pontifices edixerunt,
feliciter revivescat ac maiora
in dies incrementa capiat.
Valete, ac vos rebus servab
secundis.

Datum ex Urbe Vaticana
a. T. VI id. Apr. a. MCMLX.

Cord. di Bassi.

Cum laetissimum nuntium accipissemus amplissimum virum ANTONIUM BACCI in Patrum Cardinalium album adscriptum esse, hanc misimus epistulam — cui ille superioribus litteris rescripsit —:

Antonio Bacci, amplissimo viro Sanctae Romanae Ecclesiae Patri Cardinali, «Palaestrae Latinae» Moderatores s. p. d.

Praeclarissima tua merita pro Ecclesia Dei et pro lingua latina provehenda et amplificanda, cum hodie Sacra Purpura cumulate honestentur, libentissime tibi praesentes adsumus, teque tanto honore et dignitate decoratum summa veneratione prosequimur.

Nostram, licet minimam operam — qui vobiscum extra Urbem laboramus ut lingua latina in pristinum restituatur honorem —, benigne accipere velis nosque in eorum numero adscribere qui vobiscum animo et studio conjuncti sunt.

Sacram tuam Purpuram summa cum observantia deosculantur omnes qui in «Palaestra Latina» studium et operam collocarunt.

Scribebamus a. d. VIII Kal. Apriles, a. MCMLX, Barbastro.

J. M.º Mir, C. M. F. Jesus Aramendía, C. M. F.

Marianus Molina, C. M. F. Jesus Aspa, C. M. F.

Jacobus M.º Sidera, C. M. F. Jacobus García, C. M. F.

De Cornelio Tacito, optimo rerum romanarum scriptore

Eminet inter omnes rerum scriptores latinos Cornelius Tacitus, cuius illud celeberrimum «sine ira et studio» (*Ann.* 1, 1, 4) saepissime laudatur. Per illustri gente Corneliorum patricia, unde Scipiones duo ac Gracchorum mater Cornelia prodierant, anno circiter 55 p Chr. natus, cum a puero ad rem publicam accedere vellet, philosophiae vacavit ac mature se oratoribus magnis junxit, maxime M. Apro et J. Secundo. «Celeberrimis tum ingenii fori nostri, quos ego non in judiciis modo studiose audiebam, sed domi quoque (*De orat.* 2). Anno 77 Agricolae, Britanniae praefecti, filiam conjugem duxit. Quaestor anno 79-80, tribunus plebis 81-82, aedilis 83, praetor in collegium quindecimvirorum cooptatus, ab anno 90 legatus pro praetore in provincia aliqua occupatus, demum sub Nerva anno 97 consul factus provinciam Asiam aliquandiu administravit.

Domitiano tyranno extincto et redditu scribendique libertate libros demum conscribere est ausus. Atque primum «dialogum de oratoribus» foras dedit, quo artem oratoriam educationis fundamentum, actionis politicae nervum ac robur, litterariae et communis eruditio centrum esse demonstravit. Jacere misere artem dicendi, eo quod juvenes, qui careant vera eruditione, perperam ad hanc artem instituantur. Deinde edidit «de vita et moribus J. Agricolae», saceri, opus magna pietate compositum et eo conspicuum, quod inde Romanorum in ultimas septentrionis expeditiones ac totam Britanniam classe circumvectam noscere licet. Subsequitur liber «de origine, situ..., populis Germanorum», fons uberrimus nostrarum de Germania notitiarum. Quo in libro non sua nititur experientia, sed, quae documenta priorum scriptorum, nuntii tribunerum militum ac mercatores, attulerant, refert. Ea potissimum effert, quibus Germani a Romanis differant. Opponit effrenatae populi romani licentiae Germanorum morum integritatem, hic divortia et liberorum orbitatem, illic matrimonia intacta et liberorum copiam. Hinc periculum summum imperio imminens prospicit. His editis libris ea composuit opera, quibus laudem ac gloriam immortalem sibi comparavit: *Historias* et *Annales*. In prioribus ea refert, quae ipse intra annos 69-96 viderat ac perceperat. In *Annalibus* sive «ab excessu divi Augusti» ea, quae intra 14-37 acciderant quaeque ab aliis scriptoribus composita erant: *Imperium Tiberii*, *viri tristis et melancholici*, 14-37; *Claudii a Messalina lasciva prorsus detenti et Agrippina uxore dominandi percupida interficti*, a. 41-54;

Caligulae furore et amentia capti, 37.41; Neronis crudelissimi ac matricidae 54-67. Historiarum et Annalium magnam partem temporum injuria interiisse multum dolemus. Opus prius XIV libros complectebatur, posterius XVI.

Antequam Tacitum rerum scriptorem illustremus, pauca dicere juvat, quid de diis senserit. Eos, ut illius aetatis mos erat, plures esse credere videatur; sed de eorum natura nullo loco clare loquitur. Tamen eos corpore carere et Numen esse unum ex iis conici potest, quae de Judaeis refert: «Judei mente sola unumque Numen intellegunt; profanos, qui deorum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque imitabile neque interitum» (*Hist.* 5, 5). Multum cogitasse videtur, utrum res mortalium fato et necessitate immutabili an forte volvantur. Putat quidem eventus futuros ex astris cognosci et prodigiis portendi, reicit autem superstitionem popularem, quae in omni miro eventu portentum videat (*Ann.* 12, 43, 64; 14, 32, 12; *Hist.* 2, 50).

De quibus fontibus historicis Tacitus in scribendis Annalibus hauserit? Non defuere primorum imperatorum scriptores, ut Aufidius Bassus et Servilius Nonianus aliique. Praeterea erat traditio (*Ann.* 4, 10; 14, 2); acta diurna (3, 3); commentarii senatus (15, 74). Inde a Neronis aetate eos scriptores, quibus usus erat, nominat: Cluvium et Fabium Rusticum (13, 20; 14, 2), Plinium (13, 20; 15, 53) et Corbulonem (15, 16). Fontes Historiarum: «alii plures» (*Hist.* 1, 41); «celeberrimos auctores habeo» (1, 51); «multi tradidere» (59). Quos omnes diligenter examinasse videtur ac judicio prudenti et diligent perpendisse. «Nil compositum miraculi causa, verum audita scriptaque senioribus tradam» (*Ann.* 11, 27).

Postulat fides historica, ut rerum scriptor non solum praeclara facta, sed etiam scelera ac flagitia memoret. Tiberii ejusque successorum aetatem omnis generis vitiis abundasse quis est qui nesciat? Ea silentio tegere Tacitus non poterat. Fuit enim vir maxime probus, juris, justitiae, pristinaeque rei publicae amantissimus et memoria priorum temporum veluti repletus; inflammatu gloriae militaris et imperii splendore, virtute illa romana, fide politica, virili constantia; superbus dignitate senatus, in quo qualitates illae quondam fuerant cooptatae. Quam autem faciem aetas imperatorum inde a Tiberio ad Neronem et Domitianum induerat? Quid auctor videbat? Optimatum potentiam, robur olim rei publicae, abolitam, senatus auctoritatem diminutam ac fractam, priscam virtutem romanam in luxuriam et luxum versam, in vilem adulacionem, in indignum personarum cultum, in enervam mollitatem degeneratam, jus despectum ac libertatem. Idcirco imperatorum in rei publicae peccata palam detegit et oppressorum hominum jus magno calore defendit. Idem, romanus vir ingenio habili et exercitato praeditus, quamvis summam potestatem, quam Augustus sibi sumpserat et successoribus transmiserat, non vi tolli e medio —in tanta morum pravitate— intellexerit, quin ordo pax salusque imperii tota compage labefactaretur, attamen suum esse credebat

de prioribus imperatoribus judicium facere, ne futuri, id quod restaret libertatis ac virtutis romanae, conculcare auderent et obterere. Quam scribendi libertatem in nullo historico romano invenimus.

Utitur Tacitus in utroque majore opere *forma Annalium*, quam omnes scriptores antiqui adhibuerant. Quod nisi fecisset, in morem, qui tunc aetatis ubique valebat, offendisset. Tamen, quantum hoc scribendi genus permettebat, res gestas artificiose aut separat aut conjungit et ita legentium animos inultum movet et delectat. Quare librorum singulorum capita non in initiis annorum, sed in summi momenti factis ponuntur. Sic exempli gratia liber undecimus caede Messalinae, duodecimus Claudi concluditur. Liber decimus quartus sumit exordium a caede Agrippinae, matris Neronis, et uxoris absolvitur.

Cum Tacitus arti dicendi vacabat, *duae fuerunt factioes litterariae*; altera corruptum et insolens scribendi genus retinere volebat, altera simplex ac sanum postulabat. Cicero stilum ad summum perfectionis gradum extulerat. Sed quemadmodum posterae aetatis Romani in corporis voluptatibus vitaeque deliciis bacchabantur, ut sensus obtunsos et hebetatos novis semper irritamentis instimularent, ita viris litterariis dictio Ciceroniana insulsa ac jejuna videbatur. Ut oratio stimularet et instigaret, postulabant. Ita dictio poetica in prosam est inducta. Periodo brevis sententiarum successit forma.

Quemadmodum Thucydides ac Polybius ita et Tacitus *arte psychologica* multum dicitur nec solum facta refert, sed in causas, quibus homines in agendo moti fuerint, quid cogitarint vel senserint, alte investigat. *Ingenia ac mores* describit. Ideo plurimum a Livio aliisque differt. Cui novo scribendi generi stilos auctoris respondet. Delectabatur ac sequebatur quidem in «dialogo de oratoribus» Ciceronem, postea tamen sonoras graecorum oratorum periodos et ornamenta omnia sprevit. Oratio est brevis, grandis, sollemnis. Quae Cicerone magnis periodis dicit, ea Tacitus una eaque brevi sententia complectitur. Ut priori nihil addi, ita posteriori nihil deni potest. Incipiunt v. gr. Annales: «Urbem Romam a principio reges habuere. Libertatem et consulatum L. Brutus instituit. Dictatura ad tempus sumebantur neque decemviralis potestas ultra biennium neque tribunorum militum consolare jus diu valuit». Quam optimum et brevitatis et perspicuitatis specimen! Quam verbosum Ciceronem hic fuisse putaris? Ponit auctor noster sententias juxta sententias spreto omni particularum genere. Haud inepte sententiae cum saxis quadratis comparantur. Ipsae res cotidianaे insolite dicuntur. Nec popularem auram auctor captat nec ad legentium captum sese accommodat, sed excitat, ut ipsi inquirant. Quapropter scripta non facile, sed operose penetrantur et sunt litterarum studiosis nuces valde durae. Quis nostrum hoc non senserit? Quis non interdum auctorem desperatus sepauerit? Brevitas in scribendo celeritatem secum ferre solet. Quam auctor eo potissimum consequitur, quod, ut dixi, sententias ponit juxta sententias

omissis quoque, quae conjungant, particulis relativis. Cumulat opposita sine particulis adversativis, adhibet infinitivum historicum, licet rarius quam Sallustius. Tamen celeritati semper praevalet dignitas. Etsi simili, sed diverso modo enuntiantur, tamen concinnitas et flumen sententiarum servantur. Nullibi stilus coactum quid habet et contortum, eo quod auctor magno fingendi pollet ingenio. Vocabula brevia adhibentur, oratio argumento congrua sollemniter fluit. Orationis circuitus, cum parum interrumpatur, magna gaudet simplicitate, quae similem sui vix habet.

Auctor, rebus dicendis admodum par, facta, hominum condiciones, cupiditates animique perturbationis vivide exprimit ideoque legentes allicit et abripit. Sequuntur animo compresso et corde palpitanti sine omni fatigazione aut taedio, tum praesertim cum rerum fortunarumque vicissitudines ante oculos ponit. Nec immerito eum in pingendis rebus tristibus ac tragicis maximum fuisse dixeris¹.

N. MANGEOT, S. J.

1. *Afferamus nonnulla dictioris specimina.* Seditione militum facta Germanicus uxorem praegnantem una cum ceteris liberis e castris in Treveros mittere coactus erat: «Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor, parvulum sinu gerens, lamentantes circum amicorum conjuges... Progrediuntur contuberniis .. quis ille flebilis sonus? Quid tam triste...? Pudor inde et miseratio et patris Agrippae, Augusti avi memoria; ipsa Insigni fecunditate, praeclara pudicitia, jam infans (Caligula) in castris genitus, in contuberno legionum educatus...» (Ann. I, 40, 6). «Hostem a tergo palus, Romanos flumen ac montes claudebant, utriusque necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria» (2, 20). «Medio campo albentia ossa ut fugerant, ut restiterant, disjecta vel aggerata... Adjacebant telorum fragmenta equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora... Et cladis superstites, pugnam aut vincia elapsi, referebant hic cecidisse legatos, illuc raptas aquillas, primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelix dextra et suo ictu mortem invenerit...» (1, 61). De caede Messalinae: «...in hortos progressus repperit fusam (Messalinam) humi, assidente matre Lepida, quae florenti filiae haud concors, supremis ejus necessitatibus ad miserationem evicta suadebatque, ne percussorem opperiretur: transilise vitam nec altud quam morti decus quaerendum. Sed animo per libidines corrupto nil honestum inerat; lacrimaeque et questus irriti ducebantur, cum impetu venientium pulsae fores astititque tribunus per silentium... Tunc primum fortunam suam introspectus ferrumque accepit, quod frustra jugulo aut pectori per trepidationem admovens ictu tribuni transititur». (Ann. 11, 37, 20; 38, 1). Claudit capitulum auctor gravi sententia: «Honesta quidem, sed ex quis deterima orerentur». Eodem modo claudit librum primum: «Speciosa verbis. re inani et subdola quanticque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitum». — De Christianorum caede et suppicio: «...Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent aut crucibus affixi aut flammati, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicum edebat habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseria oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur». (Ann. 15, 44, 7-15).

DE AMMIANO MARCELLINO

(C. 332 – c. 400)

Ammianus Marcellinus ille rerum scriptor latinus Antiochiae anno 332 natus esse fertur, et haec erat tunc «Antiochia mundo cognita civitas, cui non certaverit alia adventiciis ita adfluere copiis et internis» (14, 8, 8). Ammianus ipse origine et institutione graecus magno praeditus ingenio multis que litteris ac philosophia excultus erat, in exercitu romano eques factus Juliano Imperatore (361-363) mortuo (363) a rebus militaribus se abdicavit studioque res latine scribendi Romae usque ad obitum (anno fere 400) operam dedit; «Historias» Cornelii Taciti persequi conatus est et «Res Gestas» libris 31 inde a Nerva (96) usque ad Valentem (378) composuit; sed prior totius operis pars, quae libros tredecim usque ad annum 353 complectebatur, prorsus periiit, et hodie libri 18 tantum (a decimo quarto ad tricesimum primum) supersunt; illa quidem librorum pars quae intercidit breviore narrandi forma «antiquitatem» imperatorum romanorum complexa esse videtur; haec autem quae remanet (libri 14-31) «praesentiam» ipsius Ammiani prolixius impendio circumscribit; etiam in hujus «Rebus Gestis» veritas factorum est «dea historiae»; eadem «historia sacerdos veritatis» esse debet, ut ait Dionysius Halicarnassensis («De Thucydide»)¹; rerum scriptor veritati et justitiae consulere tenetur; idem auctor historiarum asserere cogitur res descriptas sibi placere vel displicere; probus vir et pius ille scriptor debet esse, justitiam diligere, rebus juste gestis delectari rebusque male peractis dolere; praeterea homini historico scientiis politicis et militaribus opus est; olim rerum scriptoris fuit magistratibus usui esse; quam ob rem necesse fuit, quae gesta erant, «sine ira et studio» narrare (TACITUS, *Annales* 1, 1); porro «neque amore quisquam et sine odio» scribere cupiebat (TACITUS, *Historiae* 1, 1); denique «sine gratia aut ambitione» res gestas exponere licebat (TACITUS, *Agricola* 1); Seneca philosophus quoque «nec gratia nec offensione» res referre in animo habebat (*Apocolokynthia* 1).

Ammianus eisdem historiae praeceptis usus maxima industria e fontibus et archivis materiam certissimam ad narrandas «Res Gestas» arcessivit; amicus philosophi et imperatoris Juliani (361-363) qui «vir profecto heroicis connumerandus ingeniis» (25, 4, 1) erat, et Libanii Antiocheni rhetoris ex-

1. Plinius praeterea in epistula 5, 8, 9-11 haec scripsit: «narrat illa (historia)... illi illi omnia recondita, splendida, excelsa convenient;... illam torti quidam et quasi jubaee decent; ... illa tractu et suavitate atque etiam dulcedine placet; ...ktéma (Thukydi des = possessio) historia est».

stitit; ille Julianus certe inter omnes romanorum imperatores indeole philosopha magis quam Marcus Aurelius (161-180) eminuit, eodemque cultu animi atque Ammianus fuit, qui uterque fatis atque magis credebat; Libanii vero epistulis ad Ammianum scriptis licet suspicari rerum scriptorem ab illo rhetore admonitum arti perspicue et eleganter et latine dicendi summopere studuisse.

Ad extreum in hac «Reum Gestarum» expositione Ammiani multa dicta memorabilia reperiuntur, quae hoc loco proferre juvat. Primo igitur de Roma Romanisque sermonem habeamus.

Tempore, quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura, dum erunt homines, Roma, ut augeretur sublimibus incrementis, foedere pacis aeternae Virtus convenit atque Fortuna, plerumque dissidentes, quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summatatem; ejus populus ab incunabulis primis adusque pueritiae tempus extreum, quod annis circumcluditur fere trecentis, circummurana pertulit bella; deinde aetatem ingressus adultam, post multiplices bellorum aerumnas, Alpes transcendit et fretum; in juvenem erectus et virum, ex omni plaga, quam orbis ambit immensus, reportavit laureae triumphos; jamque vergens in senium et nomine solo aliquoties vincens ad tranquilliora vitae discessit; ideo urbs venerabilis post superbas efferatarum gentium cervices oppressos latasque leges fundamenta libertatis et retinacula sempiterna: velut frugi parens et prudens et dives, Caesaribus tamquam liberis suis regenda patrimonii jura permisit; et olim licet otiosae sint tribus pacataeque centuriae et nulla suffragiorum certamina, sed Pompiliani redierit securitas temporis, per omnes tamen, quotquot sunt, partes terrarum, ut domina suspicitur et regina, et ubique Patrum reverenda cum auctoritate canities populique romani nomen circumspectum et verecundum (14, 6, 3-6).

Urbs aeterna (14, 6, 1. 15, 7, 10. 16, 10, 14. 19, 10, 1. 21, 12, 24. 22, 9, 3. 23, 1, 4. 23, 3, 3. 25, 10, 5. 26, 3, 1. 28, 1, 1. 28, 1, 56. 29, 6, 17). Numen, quod auxit ab incunabulis *Romam perpetuamque fore* respondit... (19, 10, 4). —*Urbs sacratissima* (27, 3, 3). —*Roma*, caput mundi (14, 6, 23). —*Roma*, templum mundi totius (17, 4, 13). —Divini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis *Romam* (19, 10, 4). —(*Roma*) augustissima omnium sedes (16, 10, 20). —(*Romae*) senatus asylum mundi totius (16, 10, 5). —Urbs venerabilis... velut frugi parens et prudens et dives (14, 6, 5).

Capitolium, quo se venerabilis *Roma* in aeternum attollit (22, 16, 12). —Per omnes quoque sunt partesque terrarum ut domina suspicitur (*Roma*) et regina (14, 6, 6). —Victura cum saeculis *Roma* adjumento numinis divini (26, 1, 14). —...In urbe (*Roma*), ubi pernoctantium luminum claritudo dierum solet imitari fulgorem (14, 1, 9). —Erat aliquando virtutum omnium domicilium *Roma* (14, 6, 21). —*Roma*, imperii virtutumque omnium lar (16, 10, 13). —Omnes amicitiae *Romae* te- pescunt (28, 4, 21). —Vetus illa *plebs*, cuius multa facete dicta memoria loquitur et venusta (28, 4, 32). —Dicacitate plebis (sc. *Romanae*) oblectabatur (impe-

rator Constantius) nec superbae nec a libertate coalito desciscentis (16, 10, 13).

Plebs famem ultimum malorum omnium exspectans (19, 10, 1).

Vulgi rudes animi, sed humana soliti respectare (30, 8, 9).

Quorum (=peregrinorum) subsidiis semper nisi sunt ac steterunt (Romani) (28, 4, 32).

Aequitas... parens nutrixque orbis *romani...* scelestorum ultrix (21, 13, 13).

Trajanorum forum... singularis sub omni caelo structura... etiam numinum ad-sensione mirabilis (16, 10, 15).

Perspectissimum priscae potentiae forum (16, 10, 13).

Jam eae sequantur sententiae morales, quibus rerum scriptor descrip-tiones exornare adsolet:

Haec et hujusmodi quaedam innumerabilia ultrix facinorum impiorum bonorumque praematrix aliquoties operatur *Adrastia* (atque utinam semper!) quam vocabulo dupli etiam Nemesin adpellamus: jus quoddam sublime numinis efficacis, humanarum mentium opinione lunari circulo superpositum, vel, ut definiunt alii, substantialis tutela generali potentia partibus praesidens fatis: quam theologi veteres fingentes Justitiae filiam, ex abdita quadam aeternitate tradunt omnia de-spectare terrena. Haec ut regina causarum et arbitra rerum ac disceptatrix urnam sortium temperat, accidentium vices alternans: voluntatumque nostrarum exorsa interdum alio, quam quo contendebant, exitu terminans, multiplices actus permu-tando convolvit. Eademque necessitatis insolubili refinaculo mortalitatis vinciens fastus fumentes incassum et incrementorum detrimentorumque momenta versans, ut novit, nunc erectas mentium cervices opprimit et enervat: nunc bonos ab imo suscitans ad bene vivendum extollit: pinnas autem ideo illi fabulosa vetustas aptavit, ut adesse velocitate volucri cunctis existimet: et praetendere gubernaculum dedit eique subdidit rotam, ut universitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoretur (14, 11, 25-26).

Adulatio: vitiorum altrix (20, 8, 11).

...*Aegrum* corpus quassari etiam levibus solet offensis (14, 5, 2).

Vigilavit.. superni numinis *aequitas* (14, 11, 24).

Alexandria vertex omnium est civitatum (22, 16, 7).

Omnium magnarum artium sicut arborum *altitudo* nos delectat, radices stir-pesque non item (16, 1, 5).

Ut... sapientes definiunt, non modo in imperio, ubi pericula maxima sunt et creberima, verum etiam in privatis quotidianisque rationibus alienum ad *amiciciam*, cum judicaverit quisquam prudens, adjungere sibi debebit, non, cum adjun-xerit, judicare (26, 2, 6).

Sophocles tragicorum scriptor aetate grandaevus interrogatus, ecquid ad-huc feminis misceretur, negans id adjecit, quo gauderet harum rerum *amorem* ut rabiosum quendam effugisse dominum et crudelem (25, 4, 2).

Solutus... corporeis nexibus *animus* semper vigens motibus indefessis et cogitationibus subjectus et curis, quae mortalium sollicitant mentes, colligit visa nocturna, quas phantasias nos appellamus (14, 11, 18).

Hanc (=Syriam) nobilitat *Antiochia*, mundo cognita civitas (14, 8, 8).

Antiochia... cui non certaverit alia adventiciis ita adfluere copiis et internis (14, 8, 8).

Sunt in palatiis nonnulli alienarum rerum *avidi* (31, 14, 3).

Nativo more sunt *barbari* humiles in adversis disparesque in secundis (16, 12, 61).

Dubia *bellarum* conjectat sobrius rector (17, 3, 1).

Nullae infestae hominibus *bestiae*, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum [?] (22, 5, 4).

Partes corporum amputare, ut reliquis uti liceat integris: hoc *bestiae* factitant; quae cum advertant, cur maximopere capiantur, illud propria sponte amittunt, ut vivere deinde possint impavidae (17, 5, 7).

Bestiae custodum negligentia raptu vivere solitae ne his quidem remotis adpositisque fortioribus abscesserunt, sed tumescentes inediā sine respectu salutis armenta vel greges incurvant (16, 5, 17).

Quae res (—*blanditia*) perniciosa vitiorum est altrix (15, 5, 38).

Quisquis affectat nimiam *brevitatem*, ubi narrantur incognito, non quid signatus explicet, sed quid debeat praeteriri scrutatur (23, 6, 1).

Tunc laudanda est *brevitas*, cum moras rumpens intempestivas nihil subtrohit cognitioni gestorum (15, 1, 1).

Homines profutura discernunt nonnumquam et nocentia, quorum mentes cognatas *caelestibus* arbitramur (18, 3, 8).

Nihil tam convenit conatibus subitis quam *celeritas* (21, 5, 1).

Utque in *certaminibus* intestinis usu venire contingit, emergebant ex vulgo faece nonnulli desperatione consiliisque ductantibus caecis (26, 7, 7).

Magna cura *cibi*, magna virtutis incuria (16, 5, 2).

Studendum est *concordiae* viribus totis, per quam res quoque minimae convalescunt (26, 2, 8).

Dignitatum apices maximi licere sibi cuncta existimantes et ad supplicandum contrarios exturbandosque meliores pronius inclinati (30, 8, 10).

(Sum) expertus, quod *dolores* omnes, ut insultant ignavis, ita persistentibus cedunt (25, 3, 16).

Homines *eruditos* et sobrios ut infaustos et inutiles vitant (sc. Romani) (14, 6, 15).

Valuere pro veris aliquoties *falsa* (15, 2, 9).

Fama, rumorum nutrix maligna (31, 5, 8). —Solet *fama* novitates augere (22, 2, 3). —*Fama*... mille... linguis rerum misere exaggerat fidem (21, 9, 3). —*Fama* res maximas vel obumbrantibus plurimis silere nescit (16, 12, 70). —*Fama*, index tristiorum casuum velocissima (25, 8, 13). —*Fames*, ignavissimum mortis genus (17, 9, 4 et 25, 7, 4).

*Omnia (sc. fata) si scire quisquam velit, quam varia sint et adsidua, arena-
rum numerum idem jam desipiens et montium pondera scrutari putabit (14, 11, 34).*

Solent manum injectantibus *fatis* hebetari sensus hominum et obtundi (14, 11, 12).

Solent extrema metuentibus etiam *ficta* placere (25, 6, 11).

Fortuna mutabilis et inconstans (14, 11, 30). — *Virtus...* atque *Fortuna* ple-
rumque dissidentes (14, 6, 3). — Quivis beatus versa rota *Fortunae* ante vesperum
potest esse miserrimus (26, 8, 13). — *Fortunae* volucris rota adversa prosperis
semper alternans (31, 1, 1). — Ambitiosam mensam *Fortuna*, parcom *Virtus* adpon-
nit (16, 5, 1 ex Democrito). Adsumptus (Gallus, frater Juliani) in amplissimum *For-
tunae* fastigium versabiles ejus motus expertus est, qui ludunt mortalitatem, nunc
evehentes quosdam ad sidera, nunc in Cocyti profundo mergentes (14, 11, 29). —
Fortuna, moderatrix humanorum casuum (15, 5, 1). — Eadem (*Fortuna*) rerum
domina (14, 11, 33). — Celsiores *fortunas* (=homines altiore magistratu fungen-
tes) idem loqui decet atque sentire (17, 4, 4).

Solet amplissima *gloria* objecta esse semper invidiae (17, 11, 2).

Grammaticus locutus interdum est barbare (21, 1, 13).

Historia... discurrere per negotiorum celsitudines adsueta (26, 1, 1).

Non perforamus... plurima praecepsis *historiae* dissonantia, discurrere per ne-
gotiorum celsitudines adsuetae, non humilium minutias indagare causorum (26, 1, 1).

Nec *historiam* producere per minutias ignobiles decet (27, 2, 11).

Homo... pars mundi est et animantium numerum complet (29, 2, 18).

De vita et spiritu *hominis*, qui pars mundi est et animantium numerum com-
plet, laturum sententiam diu multumque cunctari (sc. imperatorem) oportere nec
praecipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari (29, 2, 18).

Finis justi *imperii*, ut sapientes docent, utilitas oboedientium aestimatur et
salus (30, 8, 14).

Scire per te (=sapientiam) licuit nihil aliud esse *imperium*, ut sapientes de-
finiunt, nisi curam salutis alienae (29, 2, 18).

O praeclara *informatio* doctrinarum (=philosophia), munere caelesti indul-
ta felicibus, quae vel vitiosas naturas saepe excoluisti; quanta... correxisse, si...
scire per te licuisset: nihil aliud esse imperium... nisi curam salutis alienae, bonique
esse moderatoris: restringere potestatem, resistere cupiditati omnium rerum et im-
placabilibus iracundii (29, 2, 18).

Numinis summi... perenni suffragio damnatur *ingrati* (21, 13, 14).

Recte institutis (sc. hominibus) ne cum *inimicorum* quidem incommodis in
delicta convenit ruere voluntaria (29, 2, 12).

Maximus ille philosophus, vir ingenti nomine doctrinarum, ...sensit... quaestoris
iniquitatem omnibus esse criminibus graviorem (29, 1, 42).

Explicandae rerum memoriae ubique debetur *integritas* fida (31, 5, 10).

Invidia turbarum acerrima concitatrix (21, 13, 12).

Hanc (*iram*) ulcus esse animi diuturnum interdumque perpetuum prudente

definiunt, nasci ex mentis mollitia consuetum, id adserentes argumento probabili, quod iracundiores sunt incolumibus languidi et feminae maribus et juvenibus senes et felicibus aerumnosi (27, 7, 4).

Imitandus sit Tullius, cum parcere vel laedere potuisset, ut ipse affirmat, ignorandi quaerens causas, non puniendi occasiones; quod *iudicis* lenti et considerati est proprium (19, 12, 18).

Judicium hoc est optandum et rectum, ubi per varia negotiorum examina (sc. decernitur): justum id est et injustum (22, 10, 3).

Sempiternus vindicat *Justitiae* vigor, aliquoties serus, sed scrupulosus quaesitor gestorum recte vel secius (30, 2, 9). —Inconnivens *Justitiae* oculus, arbiter et vindex perpetuus rerum (29, 2, 20). —Vigilavit *Justitiae* oculus sempiternus (28, 6, 25). —Judicum fides, quorum nomen ex *Justitia* natum est (30, 4, 9). —*Justitia* rectis consiliis adfutura (21, 13, 15). —Excellentissima virtutum omnium: *Justitia* (20, 8, 11).

(Exarescunt) *lacrimae* quod in variis et confragosis actibus vitae plerumque contingit (28, 1, 39).

In districtis necessitatibus nihil tam *leve* est, quod non interdum, etiam contra sperata rerum adferat momenta magnarum (24, 4, 19).

Licentia... rerum corruptrix et morum (25, 3, 18).

Litterarum numerus praestitutus et facilis exprimit, quidquid humana *mens* concipere potest (17, 4, 10).

Mercurius, quem mundi velociorem sensum esse, motum mentium suscitantem, theologicae prodidere doctrinae (16, 5, 5).

Bonique est *moderatoris*: restringere potestatem, resistere cupiditati omnium rerum et implacabilibus iracundiis (29, 2, 18).

Natantium genus elemento suo expulsum haud tam diu spirat in terris (27, 11, 3).

Per quietem (= in somnio)... ubi fusius *natura* vagatur (15, 3, 5).

Populus... accendebatur... insitā plerisque vulgarium *novitatis* repentina jucunditate (26, 6, 17).

Cum laudibus amplis, quas *novitatis* potuit excitare dulcedo (26, 2, 3).

Horrore medio *tenebrarum* (= *noctis*), quo tempore hebetari solent obstructae terroribus mentes (28, 1, 54).

Hanc professionem *oratorum* forensium jure πολιτικῆς μορίου εὖδωλον id est civilitatis particulae umbram vel adulatiois partem quartam esse definit amplitudo Platonis; Epicurus autem χαχοτεχνίᾳ nominans inter artes numerat malas; Tisias suasionis opificem esse memorat adsentiente Leontino Gorgia; quam (sc. eloquen-iam) a veteribus ita determinatam orientalium quorundam versutia adusque bonorum extulit odium; unde etiam retinaculis temporis praestituti frenatur; ergo absolutis super ejus indignitate paucis, quam in illis partibus agens expertus sum, ad coeptorum cursum regrediar institutum. Florebant elegantiae priscae patrocinii ribunalia, cum oratores concitae facundiae, attenti studiis doctrinarum, ingenio,

fide, copiis ornamentiisque dicendi pluribus eminebant: ut Demosthenes, quo dictu-
ro concursus audiendi causa ex tota Graecia fieri solitos monumentis Atticis conti-
nentur, et Callistratus, quem nobilem illam super Oropo causam perorantem idem
Demosthenes Academiā cum Platone relictā sectatus est; ut Hyperides et Aeschines
et Andocides et Dinarchus et Antiphon ille Rhamnusius, quem ob defensum nego-
tium omnium primum antiquitas prodidit accepisse mercedem; nec minus apud
romanos Rutilii et Galbae et Scauri vita, moribus frugalitateque spectati et postea
per varias aevi sequentis aetates censorii et consulares multi et triumphales, Crassi
et Antonii et cum Philippis Scaevoiae aliique numerosi post exercitus prosperrime
ductos, post victorias et tropaea civilibus stipendiorum officiis floruerunt; laureas-
que fori speciosis certaminibus occupantes summis gloriae honoribus fruebantur;
post quos excellentissimus omnium Cicero orationis imperiosae fluminibus saepe
depressos aliquos judiciorum eripiens flammis «*non defendi* homines sine vitupe-
ratione fortasse posse; *negligenter defendi* sine scelere non posse» firmabat (30,
4, 3-7).

Hominibus sedatis et placidis *otium* est voluptabile (23, 6, 67).

Hominibus quietis et placidis *otium* est voluptabile (31, 2, 22).

Beata perfecta ratione victuro ante alia *patriam* esse convenit gloriosam
(ait Simonides lyricus) (14, 6, 7).

Philosophus, veritatis professor (30, 5, 9).

Philosophorum sententia generali perdoctus, quantum corpore sit beatior
animus, et contemplans, quoties condicio melior a deteriore secernitur, laetandum
esse potius quam dolendum (25, 3, 15).

Tumultuans acriter *populus*, sed accidentia considerore suetus (19, 10, 2),

Potentium tumor adsumpta licentia latius solitus (est) evagari (30, 4, 1).

Vitia... vel bona (acc.)... *potestatis* amplitudo monstravit nudare solita semper
animorum interna (acc.) (30, 7, 1). Eo demum laus grata esse *potestati* debet ex-
celuae, cum interdum et vituperationi secus gestorum pateat locus (15, 5, 38). —Est
opportunum... actus principis discurrere per epilogos breves nec vitiorum praeter-
missio discrimine vel bonorum, quae *potestatis* amplitudo monstravit, nudare solita
semper animorum interna (30, 7, 1).

Nulla vacat quaestio *pravitatum* apud eos qui, quod volunt ipsi, maximas
putant esse virtutes (27, 7, 9).

Providus et cunctator: quod praecipuum bonum in magnis ductoribus opem
ferre solet exercitibus et salutem (16, 2, 11).

Rapaces alites... irritamento sanguinis atrocis efferatae (28, 6, 13).

Aliena non *rapere* laudis non est (30, 8, 9).

Est difficultatum paene omnium diligens *ratio* vixrix (17, 8, 2).

Ratio eadem est ubique recte secusve gestorum, etiamsi magnitudo desit
dissimilis rerum (29, 2, 24).

Velut imperiosa parens... *res publica* (25, 3, 18).

Hominis *salus* beneficio nullo pensatur (14, 11, 22). —Irruentibus armis externis

lex una sit et perpetua: *salutem* omni ratione defendere nihil remittente vi mortis (23, 1, 7). —Solet abrupta saepe discrimina *salutis* ultima desperatio propulsare (16, 2, 1).

Initialis sapientiae vetus auctoritas (Aegyptiorum) (17, 4, 8).

Severitas rectae potestatis est individua socia (30, 8, 10).

Nunquam *tardum* existimatur, quod est omnium ultimum (29, 2, 19).

Ambitus *terrae* totius, quae nobis videtur immensa, ad magnitudinem universitatis instar brevis obtinet puncti (15, 1, 4).

Hoc bonum habent *tristia* praecedentia, quod in locis suis secunda substituunt (15, 5, 23).

Varietas (opinionum) saepe satietati conjuncta (15, 9, 7).

Ad ipsius *veritatis* arcana non modo haec nostra vulgaris inscilia, sed ne sempiterna quidem lucubrationibus longis nondum exhausta physicorum jurgia penetrarunt (17, 7, 9). *Veritatis* oratio soluta esse debet et libera (17, 5, 4).

Vetita ex more humano validius cupiens (15, 3, 9).

Vetustas (=antiquitas)... fabulosius extollens (19, 8, 11). *Magniloquentia vetustatis* (25, 3, 13).

Salutaris vigor vincit inanem speciem clementiae (29, 5, 24 ex Cicerone).

Virtus... atque Fortuna plerumque dissidentes (14, 6, 3). —His *virtutem* oportet esse contentam, quae sudore quaesivit et dextris (sc. manibus) (17, 13, 31). —Pleraque vitiorum imitari solent *virtutes* (30, 8, 10).

Iracundus et criminantibus sine differentia veri et falsi facillime patens; quae *vitiorum* labes etiam in his privatis quotidianisque rationibus impendio est formidanda (31, 14, 16).

Acerbitas: rationum inimica rectarum (29, 3, 2).

Quisquis adfectat nimiam *brevitatem*, ubi narrantur incognita, non quid signatus explicet, sed quid debeat praeteriri, scrutatur (23, 6, 1).

Celsiores fortunas idem loqui decet atque sentire (17, 5, 4).

Aliquoties *celsae* potestates iras principum molliverunt (14, 1, 10).

Ebrietas continua furoris voluntaria species est (15, 12, 4).

Non est mirum *homines* profutura discernere nonnumquam et nocentia, quorum mentes cognatas caelestibus arbitramur (18, 3, 8).

Homines eruditos et sobrios ut infaustos et inutiles vitant (14, 6, 15).

AEMILIUS [EMIL] ORTH

Cur sermo latinus in usum redigendus sit

Qui hoc effici possit

Quo tempore ipse in studium litterarum latinarum incumbebam, nullum aliud majoris habebatur. Duo vero bella mundalia omnia everterunt. Eo tempore multi professores in Universitatibus Europaeis acroases latine faciebant. Tunc adeo Germanis nulli viri latine docti majoris aestimabantur. Americani in litteris classicis doctoris dignitatem appetentes sese ad Germaniam conferebant. Quidam professor Archaeologiae Americanus, cui commeatus, «Sabbaticus», ut ajunt, datus erat, quendam inclitum virum Germanum audire cupiebat, qui Americanum se adeuntem rogavit: «Quam es sermonis latini peritus?». Americanus: «Non ego», inquit, «operae litteris latinis, sed Archaeologiae dandae causa huc veni». «Recte intellego», inquit Germanus, «verum acroases omnes latine facio». Alteri igitur, quod illas litteras multos per annos neglexerat, necesse erat totam per aëstatem sermoni latino studium impendere.

Quid hodie? Cum quidam editores commentarios suos lingua latina, qua antea, edere statuerunt, rogatum est, cur hoc consilium cepissent. Responsum est neminem posse satis subtiliter res latine enodare et explicare.

An Ramshornius, cum librum de Synonymis Latinis componeret: an Weissenborn, Lucianus Mueller, R. Ewald, Georgius Goetz, Fridericus Schoell, Alfredus Fleckeisen, Carolus Nipperdey, editores emnes: an Ferdinandius Handius, cum commentarios Tursellini de «Particulis latinis» ederet, quin immo sescenti alii, non subtiliter scribere sciebant? Si hodierni recte judicant, illi inepti erant. Sin autem illi sermonis latini periti erant, hodierni quid...?

Cum nuper in Italia essem, ubi apud amicos demoratus sum, quos per commercium epistularum mihi conciliaveram, cum eis, quorum in ore nulla erat lingua anglica, ut in meo italica ad confabulandum parum sufficiebat, latine tantum collocuti sumus. Etiam atque etiam quidam oculis fulgentibus dixit: «Nunquam antehac latine locutus sum». Roganti: «Quippini?» respondit: «Pigri sumus». En, una causa, cur latine non scribamus. In causa quoque est disciplina vitiosa, quae studium ab usu sejunxit. Sed de hoc alias!

Quid Erasmus? Nonne is, qui latine tantum loquebatur et scribebat, satis subtiliter disputavit? Nonne hic, quamquam natione batavus erat, decus Germaniae propter scientiam, ingenium acutum, famam a Germanis appellabatur? Num Linnaeus de Systemate Naturae, de Structura Florum parum accurate scripsit? Quid Milton, poëta inclitus qui Cromwellio, Domino

Protectori Angliae dicto, ab epistulis erat, inscite ineleganterque officio functus est? Quid Hungari, qui centum ante annis Aquinci in salutationibus conviviisque, quod nemo in urbe compluribus linguis vexata aliena uti vellet, sola latina, ut quae invidia careret, loquebantur? Num hi nihil nisi nugas atque ineptias effutiebant? Quid eidem in «Parlamento», quod dicunt, Hungariano, ubi eandem ob causam una lingua latina uti licebat, agebant? Num nugabantur? Quid quod saeculo sexto decimo per totam Europam cauponibus tabernariisque latine scire expediebat, ut viatoribus, qui, cum bonis litteris magnam partem instituti essent, tamen aliarum linguarum erant ignari, commode ministrarent?

Hic, pace vestra, lectores benevoli, aliquid ridiculi inserere velim. Haud multos abhinc annos viator in Hungaria, ignarus illius linguae, cuius latinitas non nihil robiginis traxerat, cum jentare ova vellet, dixit caponi: «Cupio duas oves». Qui attonitus: «Di meliora», inquit, «esne lupus?».

Johannes Wolfgangus Goethe, aliud Germaniae lumen et decus, ille vester inclitus poëta et vir in artibus multiplex ajebat se linguam latinam, sicut germanicam, francogallicam, anglicam ex solo usu, regulis et enodationibus omissis, didicisse: «Ego tam grammaticam», inquit, «quam artem transilui; omnia natura mihi congruere videbantur; verba, et declinationibus horum et comparationibus auri menteque retentis, facile ad scribendum atque loquendum adhibebam».

Erasmus, ut eum iterum excitem, praecepit, ut magister quam primum discipulos vel purissime alloqueretur et eos locutionibus erudiret eis, quae inter ludendum et prandendum et munera cotidiana obeunda usui forent; legendas eis mandaret comoedias Terentii, cuius sermo purus, tersus et cotidiano proximus esset.

Quid tandem hodie? At cur vobis nota tractem? Ergo ad alia discedamus!

Quid tandem ineptius quam ut eruditii, quorum sermo patrius fortasse perpaucis notus est, si quando de rebus classicis scripturi sunt, lingua sua patria, qua multi prohibentur, quo minus illis scriptis fruantur, et ipsi lectores famamque amittunt, vel alia lingua hodierna scribant, siquidem ea scripta ad oculos intenduntur linguae latinæ peritorum, quibus quidem persaepe faciliora latina lingua scripta quam qualibet alia sunt et lectu et intellectu. Cum ipse, exempli gratia, carminibus cujusdam poëtae aevi inferioris, apud quem nonnullae inveniuntur inconcinnitates linguae, operam navarem, explicatione a quodam ejusdem poëtae studiosissimo conscripta utebar, qui, si in locum nodosiorem incidebat, dicebat: «Hunc locum Suetice reddiderim...». Cur ille, qui latine lucidissime scribebat, non dicebat: «Hunc locum sermone Ciceroniano reddiderim...?».

Quid ego, illo sic scribente, agerem? Lexicon et librum grammaticum emerem?

Itaque vos, Lectores benevoli, hortor, ut animos non modo ad primum

Congressum de Lingua Latina Viva abhinc quattuor annos Avennione habi-
tum, ex quo praecepta de disciplina salutaria promulgata sunt, sed etiam ad
alterum, qui anno proximo Lugduni Francogallorum habitus est, intendatis.
In illo suadebatur, ut discipuli, illi quidem, qui non ipsas litteras vel gram-
maticen professuri sunt, elementis principisque linguae, omissis ornamentis
rhetoricis, penitus adeo erudirentur, ut ipse sermo eis instrumento exacto,
accurato subtilique foret.

Sic efficietur, ut juvenes, etiamsi operam curamque in rem mechanicam
sive chimiam sive physicen sive aliam id genus scientiam impendant, e
scholis non expertes, ut nunc saepius fit, politioris humanitatis evadant; uti
non solius «technae», quae vel, antequam e scholis emittantur, veterascere
et obsolescere potest, periti, quales illi bonarum litterarum expertes, sed
principiis scientiae funditus instructi, ad omnes quaestiones solvendas
habilissimi et mutationum rerum atque inventorum intellegendorum capaces
ennitantur. Ne pluribus, sic erunt aliquatenus sapientes. Cicerō dixit sapien-
tiam esse scientiam omnium rerum divinarum et humanarum cognitionem-
que, quae sit cuiusque rei causa.

Sic efficietur quoque, uti sciant, quibus vinculis populi inter se
devinciantur, non quibus diversitatibus sejungantur; uti consciī fiant, quid
sit hominem esse rationale, cīvem frugi. Sic pro tanta per omnes gentes
nationesque linguae diversitate, quae nunc debacchatur et humanitati faci-
litatique conversationis obstat, unus sermo, dummodo usui convenienter
inculcetur, concordiam amicitiamque parere et alere potest.

Ut ad hanc metam optabilem deveniatur, quaenam studia litteris veterum
magis idonea sunt, majorem vim habent? Disciplinam vero, quae nunc ad
ornamentum dumtaxat ingenii, pariter ad utilitatem spectare oportet.

Ne plura, non oculi soli, sed etiam aures linguaque sermone ad omnia
utili habilique exercenda instruendaque sunt.

Idcirco multa in nostra disciplina, non dico in Germanica tantum, quae
mihi parum nota est, sed omnium gentium, immutanda sunt; opera perquam
diligens arti scribendi necnon et loquendi est danda. Eripienda, uno verbo,
disciplina e manibus fastidiosorum morosorumque et iterum facienda est,
ut ita dicam, Erasmica.

Agite dum, mei lectores, efficiamus, ut juvenes nostri, qui per tot annos
tantum in has litteras infundunt sudoris, fructum inde percipient uberem
et laetum.

Hartfordiae, in Civitatibus Americae Foederatis.

BONAMICUS ACTENSIS [GODWIN BEACH]

OLYMPIA

Nos pariter laeto celebremus Olympia cantu,
apta feros hominum mansuetos reddere mores
atque inter populos civilem extendere cultum.

Tabida pestilitas gentem vexabat Achivam
funero continuans: mors grassabatur ubique
innumerous homines nullo discrimine sternens;
aedes funereis plangoribus usque sonabant
et gemitu assiduo; tum —res taeterima visu—
per fora perque vias rancentia corpora olebant.

Nec satis: invidiae cives et dira simultas
scindebant miseros, et amor funestus habendi
sic animos nummis torquebat semper hiantes,
ut minus horrentur armis saevire vicissim.
Urbes tunc trepidae certant munimine cingi,
militis et multi excubiis obsidere portas.
Intactum quid enim miseris mortalibus exstet,
pector si capiat lucri vesana cupidus,
servitioque suo Martem compellat iniquum?
Unde salus ergo? Delphos en Iphitus ire
ilico consultum decernit Apollinis aram.
Pythia confestim sacro correpta furore,
pallens ora, comas per collum incompta fluentes:
«Instaurentur —ait— certamina Olympica, ut alra
funera jam cessent, redeant et gaudia pacis».

Quae dederat numen peragerunt munera cives,
protinus et pacis spes blande pectora mulxit,
ut subito in tenebris apparens sidus amicum.
Ulcera mox coeunt, reflorent corpora rursus,
pallor abit, vivo turgescunt sanguine venae
atque graves abigunt venientia tempora morbos,
ut sol collectas dispergit ab aethere nubes.

Hinc optata salus, siquidem quae moenia tristes
coniderant lites, statuunt evertere cives,
firmit ut unus amor pacem, tutetur et urbes.
Dedignatur enim portas, confinia, muros,

pectora cum pervasit, amor, moderator et unus.
Hinc minime porta, fracta at per moenia retro
victor Olympiacus rediens vehebatur in urbem.
Mirificum sane specimen sublimis amoris,
provida quod populis dedit olim Graecia scissis;
ipsius at minime halavit fragrantia longe,
nec gentes alias tetigit populosque propinquos
Italiae: Martis, fuso qui sanguine gaudet,
jussa sequens, ventos caecos rex Aeolus antro
continuit longis saevisque furoribus actos.

Amnis at Alpheus, ponti, qui novit opertas
ire vias tenebris, subter mare, detulit echo,
ejus ad Ortygiam ridentem, ubi murmure laeto
«ore, Arethusa, tuo Siculis confunditur undis»¹.

Nunc igitur laeto celebremus, Olympia cantu.
Eja, palaestritae, ludi dat buccina signum;
surge, et optatam certatim carpite laurum;
vos manet impatiens plebs...

O mirabile visum!
Candida ad Alpheum fax splendet Olympia flumen,
quae puros oculos, juvenilia et ora sereno
lumine perfundit. Juvenis mox prosilit audax,
lampada qui carpit, sicut Tirynthius heros,
constringitque manu valida, teretique lacerto
elevat, et sinuans alterna volumina crurum
currit hians, properat, rapidis volat impiger alis,
solis iter servans: valles descendit ad imas,
exsuperat montes, obstantes traicit amnes
impavidus; densas pertransit civibus urbes,
oppidula et vicos et sparsa, mapalia in agris
multiplici Cereris ditatis munere. Cuncti
demirantur eum celerantem praepete cursu;
altaque spes iterum pacis praecordia mulcit.
Nil puerum retinet; vis nulla obnittitur ipsi,
qui maturat iter flagranti lampade coeptum,
lucem qua transit diffundens atque calorem.
Advenienti illi portae finesque patescunt,

1. VIRG., Aen., 3, 694.

et vigilat miles devictus proicit arma,
illius arcani dulcedine captus amoris,
foedere qui gentes omnes devinciat uno.

Ecce cadente die, cum pulcher, Apollinis instar,
jam languet juvenis (nonne est mortalis et ipse?)
officiosus adest mox velocissimus alter,
qui arripit a socio defesso lampada sollers
continuatque fugam; quem protinus alter et alter
sufficit, atque ita protelo, dum rite peracto
curriculo tangat praefixam denique metam.

Mira voluntatum concordia, ubi aemula virtus
carpere contendit per dura, per aspera palmam!
Nexibus ut variis auro conflata catena,
bracchia quae divi vincit, rutilantior ardet,
anulus addit enim diversus quisque nitorem;
floribus aut veluti multis confecta corona
pulchrior alterno discreta colore renidet,
tempora quae divae praecingit suaviter halans;
sicut et unda maris veniente extruditur unda,
quam subito exsultans mox protinus altera trudit,
murmure dum rauco spumantem verberet oram;
haud aliter puer hic puerο subit, alter et illi,
tempore et efficitur numquam diffracta catena,
pacifice certans, ubi fulget gymnica virtus,
et juvenile decus, quod lumen amabile fundit
haud oculos caecans, blande sed pectora mulcens.

Anulus illius procedit ab Elide primus,
indeque per gentes series evolvitur omnes,
conscia dum serpens Alphei immurmurat unda,
murmur et ad flavum Tibrim fert aura volucris,
qui populos omnes sociantem cantat amorem,
imperium priscum foedatum sanguine temnens.
Lampas enim Romae, clades quae vidit atroces,
urbem sed fecit cunctis ex gentibus unam
jure micat rursus, pacis spectabile signum.

III

Laudibus exornent alii qui findere persant
acriter insano nisu corpuscula prima,
terrificas atomos, cladesque minantur atroces;
carmine Tyndaridem celebrent aliasque puellas,
a quibus exarsit bellum per tempora longa

et miserae flerunt natorum funera matres.
Nos heroa novum merito celebremus honore:
non is bellorum per gentes semina spargit,
non gemitus properat, non luctus nuntiat atros,
inscius at pacis praeco discurrit in orbe.
Dum celerat gressus, ridet natura benigna,
nubila diffugint, ventorum concidit ira:
laetitia aspectus vastae dipingitur aethrae
luceque diffusa viridantia rura renident.
Eja agite, o cives, quotquot cum plausibus istum
atque hilari vultu puerum exceperitis ovantes:
undique ferte citi, tantorum in praemia honorum,
rite triumphalem laurum, decerpite flores:
paciferae at ramos praesertim carpite olivae.
Ramus enim merito caput ejus cingit olivae,
quo veniente iterum Concordia sancta videtur
ferre gradus terris, praebere et munera pacis.

Romae

PETRUS BRUNO

NUNTIA VARIA ACCIPITE

ROMAE. — Ante diem sextum Kalendas Septembres inaugurata sunt Romae XVIII Olympia quae ad diem tertium ante idus Septembres fuerunt. Ad ea celebranda supremi Olympiorum italici moderatores «vicum» exstruxerunt «olympicum» («villaggio olimpico»), qui septem milia athletarum ad 85 nationes pertinentium caperet.

Clarissimus Reipublicae Praeses Gronchi —vir in litteris latinis admodum versatus—, oratione auspicali luctuosa, clamantibus plaudentibusque exspectatoribus, Olympia instituit atque incohavit.

Victoriae vero, quas praecipui athletae olympici sunt assecuti hae sunt:

Adulescens germanus Arminius Hary citatissimus ex omnibus athletis fuit, centum enim metra decem tantum secundis cucurrit.

Athleta italicus Livius Berruti, omnibus partibus superior fuit ducentorum metrorum cursu.

Athleta russicus Dolotnikof concertatione decem milia metrorum numisma aureum lucratus est.

Athleta aethiops Ababe, viginti quinque annos natus, cursu quem vocant «marathon» seu 42 chilometrorum, vitor discessit supremus.

Athleta americanus peritissimus saltandi Radulfus Boston, saltu 8'12 metrorum in longitudinem, omnes competitores suos plane devicit magnaque victoria potitus est.

Junior athletarum omnium qui Romae fuerunt, puer germanus tredecim annorum Nicolaus Zelta nomine, numisma aureum assecutus est quia navis, cuius gubernator erat, remis impulsa, prima metam contigit statutam.

Hac magna concertatione finita, primum inter omnium nationum competitores locum athletae russici obtinuerunt, qui 43 numismata aurea assecuti sunt. Americani athletae 34 numismatis aureis a judicibus decorati, alterum locum obtinuerunt.

Olympia per televisionem in Europam transmissa sunt.

VASINGTONII. — Idibus Augustis viri doctissimi americani in spatium emiserunt satellitem cui nomen «Echo I», 30 metrorum diametri, qui alternis horis terrae orbem circumlit. Satelles ad signa et verba per undas missa colligenda est destinatus. Cum sit ex materia «plastica» factus et caerulei pulveris aluminii tegumento cunctus, fulgente sole, spectari a curiosis potest.

NOVI EBORACI. — Aeroplanus qui vocatur «X-15» a viro americano Joe Walter ductus, novam nostrisque diebus mirandam altitudinem 39.918 metrorum, decem tantum minutis, assecutus est. Aeroplanus avolavit ab altitudine tredecim chilometrorum quo ab alio aeroplano auxiliari, «B-12» nomine, subvectus erat.

SICILIAE. — Diebus 20-21 superioris mensis Augusti certamen universum de piscibus sub aqua piscandis, scaphandrae opera, Panormi in Italia celebratum est. Viginti et tres nationes contenderunt quarum summam victoriam praemiumque maximum Italia consecuta est. Alterum locum Hispania obtinuit.

CINCINNATI. — Nautilus atomicus americanus vulgo «George Washington» appellatus missile «Polare» vi atomica impulsu ejicit cum quindecim metra sub aqua immersus navigabat. Missile ad finem attingendum duo milia chilometrorum percurrit. Quo, ut aijunt viri doctissimi, «omnia experimenti proposita assecuti sunt».

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

NOVA ET VETERA

SUMMUS SUM BIROTARIUS...!

1. Cum puer essem studio flagrabam tricycli¹ habendi. Antonium amicum saepe videram qui suo insidens tricyclo per viam ante parentum domum arroganter incedebat.

2. Natalicia Domini festa adveniebant cumque his feriis parentes aut per se aut per Reges Magos —quos vocamus— crepundia² omne genus soleant munere dare filiis, patrem adii eumque rogavi ut mihi quoque tricyclum emeret. Quo et ego utens cum amicis elato animo procedebam... Post aliquot vero menses —haec est enim crepundiorum fortuna— tricyclus absumptus est illumque prorsus adjeci. Sed jam hujusmodi vehicula moderari didiceram atque obvenientia pericula et discrimina superare; callide quoque pedalia³ versabam.

1. TRICYCLI [*triciclo - tricycle - triciclo - Dreirad*]: res et nomen recentioris sunt aetatis; est autem nomen rite a vocibus graecis τρί (τρεῖς) et κύκλος fictum et rei consonat cum tres sint in hoc vehiculo rotae seu orbes. Et quanquam in lingua latina verba invenies quae ex prima compositi parte *tri-* constat (*tri-ceps*, *tri-cornis*, *tri-cuspis*, *tri-dens*, *cet.*), tamen *tricyclus* non hybris vox habenda videtur, sed graeca.

—MARIANO habet: «tricycula», diminutiva forma latina, quae adhiberi etiam potest.

2. CREPUNDIA [*juguetes - jouets - giocattoli - Spielsachen*]: «sunt reculæ pueriles, quæ infantibus tum ornatus, tum ludi causa dantur... Solebant esse anuli, ensiculi, securiculae, maniculae, bullæ, siculæ, fasciolæ» (cfr. FORCELLINI). —His ergo Romanorum crepundiis dulciola, curiosa, ludicra,

alia quam plurima addenda sunt quae his temporibus infantibus puerisque muneri dantur quibusque hi maxime gaudent.

3. PEDALIA [*pedal - pédale - pedale - Pedal*]: «pedale, is» substantivum a recentioribus scriptoribus accipitur et probatur (cfr. GONZÁLEZ, *Candidatus Lat.*, 3 (1930) 26; PALAESTRA L., 3 (1933) 85; *Juventus*, 21, 6, 84; *Societas L.*, 1 (1932) 5; COGNASSO, *Il latino*, s. v.; C. MARIANO); neque hujus nominis exempla apud Romanos de-sunt (cfr. FORCELLINI, ERNOUT-MEILLET, *Diction. étimolog. de la l. lat.*, s. v.; WALDE-HOFMANN, *Lateinisches etymolog. Wörterbuch*, s. v. ubi recensentur «pedale, is» et «pedalis, is» (sc. *solea*). —BACCI, (*Lexicon*, s. v.) tamen habet: «pedale adminiculum; pedale instrumentum», quin audeat, ut videtur, substantivum adhibere.

3. Deinde cum in Collegio vel convictu⁴ quodam commorarer adhibitis Collegii birotis⁵ in excursu⁶ extra urbem progrediebamur aut per horae spatium modico pretio soluto birotas mutuas postulabamus. Qua corporis exercitatione multum delectabar.

4. Advenit tandem hora qua litterarum studiis absolutis ad laborem, communem hominum fortunam, incubui et in argentariam⁷ Hispanicam Americanam primum apparitoris⁸ munere, deinde arcarii⁹ operam meam contuli; ut autem commodiore ratione ad argentariam cottidie celerius accederem, pater birotam mihi emit, quae quidem mirae erat artis et primae notae¹⁰; inter amicorum birotas princeps mea conspiciebatur.

5. Domi mecum duo erant fratres minores natu qui a me quaeasierunt modo tam fidenti animo birotae insiderem et ea celeritate procurrerem. Tunc ego mea scientia et usu birotae fretus meque magistrum profitens, primum nomina cu-


4. CONVICTU [pensionado, internado - pensionat - pensionato - Pensionat]: «convictus» est 'actus vivendi simul, convivendi, consuetudo aliquem ad mensam cottidie adhibendi' (cfr. Cic., *Ad fam.* 5, 14, 3), et concreto sensu erit locus ipse ubi simul cum alio quis vivit, et hic sensus respondet voci *pensionado, internado* (cfr.: «Cicéron a déjà *convictus* au sens «de vie en commun» et le fils de Cicéron *convictor, -tio*», ERNOUT-MEILLET, *Dictionn. étym. l. lat s. v. vivo: convivo*). — Adhiberi etiam potest paedagogium: «locus in aedibus, ubi servi puerilis aetatis, et ad nobiliora et delicatiora ministeria destinati sub paedagogo versantur... Translate *paedagogium* dicuntur ipsi pueri servi, vel coetus et veluti collegium puerorum, qui sub paedagogo educantur» (cfr. FORCELLINI, s. v.); usurpatur a Seneca, Plinio, Suetonio. — *Paedagogium* et *convictus* proponuntur a MARIANO (s. v. *pensionato*); BACCI habet: «communis victus sedes, hospitium; *convictus*; *convictus sedes*».

5. BIROTIS [bicicleta - bicyclette - biciletta - Fahrrad]; cfr. *Candidatus Lat.* 3 (1930) 26, *PALAEstra LAT.* 3 (1933) 85: «birota»; COGNASSO: «birota velocissima, biciclula» (scribe: «bicyclula»); O. TEMPINI (*Manuale di conversaz. lat.*) «birota bicycuла»; MARIANO: «bicyclula»; ZENONI: «birotula»; BACCI: «birota»; ocycles (ex Vallauri et aliis); velocipes, edis (ex Antonibon); bicyclula (ex L. Graziani); birotula (ex Luciano).

6. EXCURSUS [corrida, salida, excursion - course, excursion, voyage - corsa - Herauslaufen]: «excursus» vel etiam «excursio»: de quibus lexica conferas.

7-8-9. ARGENTARIAM - APPARITORIS - ARCARII: de his vocibus cfr. *PAL. LAT.* 27 (1957) 36, 37, 39.

10. PRIMAE NOTAE [de primera calidad, de la mejor marca]: «primae notae acerrimum acetum» (COLUM. R. R. 12, 17, 1; «Ut Chio nota si commixta Falerni est» (HORAT. Carm., 1, 10, 24; cfr. *PALAESTRAM LAT.* 39 (1959) 144, n. 9).



B I R O T A

1. manubrium, ii (*manillar - guidon - manubrio - Lenkstange*)
2. capulus, i; manicula, ae (*manecilla - poignée - manopola - Handgriff, Handhabe*)
3. frenum, i (*freno - frein - freno - Bremse*)
4. lanterna, ae (*farol - phare - fanale - Scheinwerfer*)
5. pedale, is (*pedal - pédale - pedale - Pedal*)
6. pneumaticum, i (*neumático, cubierta - pneumatique - pneumatico, copertone - Pneumatik*)
7. canthus, i (*llanta - jante - cerchione - Radfelge*)
- 8 * luticipulum i, (*guardabarros - garde-boue - parafango - Schutzblech*)
9. compages, is (*cuadro - quadre - telaio - Fahrradrahmen*) .
10. rota dentata major (*piñón grande, plato - grand-pignon - ruota dentata grande - Kettenrad*)
11. catena, catenatio (*cadena, transmisión - chaîne - catena, transmissione a catena - Kette, Kettenantrieb*)
12. sedile, is; sessibulum, i (*sillón - selle - sellino - Sattel*)

jusque partis birotae singillatim eis rettuli, in quibus sunt: rota rectrix¹¹, rota motrix¹², sedile¹³, manubrium¹⁴, rota dentata¹⁵, canthus¹⁶, lumen posticum¹⁷, luticipulum¹⁸, catena¹⁹, compages²⁰, cetera; deinde birotae tractationem et usum ita

11. ROTA RECTRIX [*rueda anterior, directriz - roue motrice - ruota anteriore - Vorderrad*]: cfr. *Curso de Latin, Polyglophone CCC*, XII, p. 329; dic etiam: «rota moderatrix»; cfr. *ibid.*

12. ROTA MOTRIX [*rueda posterior, motriz - roue motrice - ruota posteriore - Hinterrad*]: cfr. *ibidem*.

13. SEDILE [*sillin - selle - sellino - Sattel*]: cfr. «Tamdiu se in sedili suo tenuit...» (*SENECA, Epist. 70, 23*; adhibetur a Vergilio, Seneca, Suetonio, Gellio, Horatio, aliis. — Sunt qui sesibulum etiam proponant (cfr. *Candidatus Lat., C. de Latin, Polyglophone CCC*, locis supra commemoratis), quod a Plauto et ab scriptoribus posterioribus usurpatur.

14. MANUBRIUM [*manillar - guidon - manubrio - Lenkstange*]: est 'quidquid manu tenetur' (cfr., ut supra, *Candidatus Lat., PAL. LAT., Polyglophone CCC*).

15. ROTA DENTATA [*piñón grande - grand pignon - ruota dentata grande - Kettenrad*]: vox rei convenit.

16. CANTHUS [*llanta - jante - cerchione - Radfelge*]: est 'ferrum quo rotae absis cingitur'.

17. LUMEN POSTICUM [*piloto, luz roja - fanalino posteriore - Schlusslicht*]: cfr. *Curso de Latin, Polyglophone CCC*, loc. mem. — «Posticus» est 'retro positus, aversus, posterior'.

18. LUTICIPULUM [*guardabarros - garde-boue - parafango - Schutzblech*]: vox quae ex luto et -cipulum conflatur;

altera vero vocabuli pars invenitur in substantivo *muscipulum* instrumentum quo mures capiuntur (-cipulum est a verbo *capio*, cfr. etiam *ex-cipulum*); *luticipulum* ergo erit quod 'lutum capit'. — Non nullis mirum fortasse erit hoc vocabulum, sed cum regulis, quibus nova cudenda sunt verba latina, prorsus convenit, suntque in thesauro linguae latinae similes voices ('excipulum, muscipulum'). (cfr. *Candidatus Lat., PAL. LAT.. Curso de Latin, Polyglophone CCC*, locis supra memoratis).

— Jos. Holzer, doctor Saraludovicensis, «pluteolum» proposuit (*Alma Roma*, 1938, p. 120); quae quidem vox, si genetivum «luti» adjungatur, multis fortasse probabitur ('luti pluteolus') praesertim in curribus automobilibus.

19. CATENATIO [*cadena, transmisión - chaîne - catena, transmissione a catena - Kette, Kettenantrieb*]: «catenatio» est junctura, colligatio quae ipsa catena — vel alio ligamine — fit: respondet voci *transmisión*; «catena» vero est ipsum ligamen seu vinculum ex analis conexit factum.

20. COMPAGES [*cuadro - quadre - telaio - Fahrradrahmen*]: est 'conexio, colligatio rerum simul compactarum'; cum autem birotae partes in «compage» (cuadro) convenient ibique connectantur, ideo vox rei optime quadrat (cfr. *C. L. Polyglophone CCC*, p. 329). — Sunt qui *quadrum* admittant,

explicavi: «animum advertite: pedem in pedali laevo primum innitor, sedili eodem temporis punto insido et dextrum pedem pedali dextro nitor. Jam sedeo, manubrium teneo, impetum facio et per stratam adeo velociter curro ut ventum praetervolare videar; ne delinear aut decidam in via, pedalia continenter verso²¹; si hominem aut vehiculum video, tintinnabulum²² pulso ut de via decedant. Multa itinera, birotam adhibens, perfeci et propinquos invisi qui summa laetitia domi suae me exceperunt.

6. Cum longum et flexuosum suscipio iter, aliquando detrimentum²³ copio; tunc si forte gummes inflatae²⁴ aëra amittunt —quod facile sentio—, e sedili desilia, pneumaticum²⁵ investigo num perforatum sit; locum perforatum²⁶ abrado, e capsella ceratum²⁷ detraho, partem perforatam oblino et ceratum pneumatico

neque vocabulum omnino improbadum, cum saltem per translationem illa praecipua birotae pars ita appellari posse videtur; ibi enim «quadrum» appetit.

21. PEDALIA VERSO [pedalear - pé-daler - pedalare - Radfahren]: COGNASSO (*Il latino*, s. v. *pedalare*) habet: «pedalia versare, pedalibus uti, tamquam pede alato currere»; MARIANO: «pedalia versare; pedalibus uti»; BACCI: «birota insistere (ex Luciano); aptius tamen dixeris: Birotam pedibus age-re; birotam pedibus propellere; birotam pedibus provehere; alato pede in birotam insistere».

22. TINTINNABULUM [*timbre* - *campanello* - *Klingel*]: est 'instrumentum quod percussum sonum edit, tinnit'.

23. DETRIMENTUM CAPIO [sufrir una averia]: etiam: «jacturam subire, pati».


24. GUMMES INFLATAE [*cámara de aire* - *camera d'aria*]: adhibetur «gummi vel cummi» indeclinable, sed invenitur etiam «gummis, is». —Bacci habet: «gummies inflatae»; sed adjec-tivum «inflabiles» ('quae inflari possunt') non nunquam usurpari forsitan

praestet; apud ipsum praeterea leguntur: «pneumaticae cummes; pneumaticae rotarum cummes, vel gummes» (*Lexicon*, s. v. *pneumatico*).

25. PNEUMATICUM [neumático, cubierta - pneumatique - pneumatico, copertone - *Pneumatik, Lufreifen*]: adjec-tivum «pneumaticus, a, um» apud Plinius, Vitruvium, aliosque scriptores legimus; vox graeca quae latine reddi potest 'aëre, vento inflatus'; interdum «pneumaticum» totam inflatam rotam —ut vulgo apud nos— significare potest.

26. LOCUM PERFORATUM «perforare» est *pinchar*; saepe a P. F. Sánchez Vallejo, S. J. (*Gallia iterum birota circuitur, Humanidades*, 12 (1960) 7) adhibetur (p. 28); etiam: «pneumatica pertunduntur» (p. 9), «pneumatici perforationem pati» (p. 21); «forum in pneumaticis» (p. 35), «bis foro laboravit», qui tamen *fori* sensus pro *foramine*, nullib[us], quod sciam, apud Romanos legitur.

27. CERATUM [parche - rappezzo, toppa - *Flicken*]: est 'quidquid cera modo tenax, rei impositum adhaeret'; dicitur etiam *cerotum* (χειρωτόν).



agglutino. Deinde antliam²⁸ sumo, pneumaticum inflo et viae iterum me committo.

7. Si quando ardua est via percurrenda aut nimium in birota innitor, compagem abrumpo; tunc juxta viam exspecto ut quis mihi humaniter opem ferat meque secum asportet; mihi vero eam automobilium curruum retentionem²⁹ — qua fortasse nonnulli per vias abuntuntur — parum, quod scitis, placet. Nocte lanterna³⁰ viam collustro; si quae vero loca luto infecta invenio, luticipulum — ne vestes inquinem — magno mihi usui est.

8. Nunc autem optimus birotarius³¹ fieri cupio et adeo birotae studio³²

28. ANTLIAM [*bomba - pompe - pompa - Fahrradluft*]: propre de machina ad hauriendam aquam dicitur.

29. CURRUUM AUTOMOBILIJM (IN VIA) RETENTIONEM [*autostop*]: de voce quae est «currus automobilis» alias agemus. — «Retentio» est «actus retinendi, retentandi»; «retinere» autem est *detener - fermare - empêcher d'avancer*: legimus apud Plautum, Caesarem, Ciceronem: «quid nunc me retines» (PLAUT.); «Liscum retinet» (CAES.); «tempestate retentus» (CAES. - PLIN.); «retinebis homines» (CIC.).

30. LANTERNA [*farol - phare* -

fanale - Scheinwerfer]: «vas, capsula, instrumentum in quo ignis seu lumen asservatur ne vento extinguitur»; sunt qui minus recte *laterna* scribant.

31. BIROTARIUS [*ciclista - cycliste - ciclista - Radfahrer*]: GOGNASSO: «birotarius, cyclista», BINI: «birotarius»; PAL. LAT. saepius; C. L. Polyglophone CCC: «birotarius». — «Birotarius» erit a «birotula»; birotarius a «birota».

32. BIROTAE STUDIO [*ciclismo - cyclisme - ciclismo - Fahrradsport*]: COGNASSO: «birotularia ars»; BACCI: «cyclopedis (vel birotae) exercitatio, exercitium, ars, studium».

allicior ut petitor³³ in birotariorum circuitionibus³⁴ congregdi velim. Clarissimos novi birotariorum principes³⁵ Anquetil, Rivière nostrumque Michaëlem Poblet qui suis citatis procursionibus³⁶, cum ad stationem³⁷ praestitutam propius adest, apud omnes nobilissimus est.

9. Amicum quoque memini qui proximo anno in montium angustiis³⁸ superrandis in montem Altum Leonum (*Alto de los Leones*) et in Navam Clausam³⁹ (*Navacerrada*) ascendens ex certamine primus discessit, et in collusorum ordine generali⁴⁰ quinque tantum minuta⁴¹ a principe aberat duosque metas medias seu volantes⁴² vixor attigit. Alius vero amicus in «hispanico birotae circuitu»⁴³ maxima

33. PETITOR [*competidor - corredor*]: proprie est 'qui aliquid petit vel assequi contendit', dicitur etiam «competitor» 'qui simul cum alio aliiquid petit seu assequi contendit' (*compañero de carrera, de competición*).

34. BIROTARIORUM CIRCUITIONIBUS [*carrera, vuelta - tour - giro*]: «circutio, circuitus» est 'actus circumundi', cfr. lexica in quibus multa inveneries exempla huic nostrae notioni facile aptanda.

35. PRINCIPES [*ases*]: F. S. VALLEJO (*Gallia birota...*, p. 23): «princeps cursor».

36. CITATIS PROCURSIONIBUS [*sprint*]: «procursio» est 'actus procurrenti'; procurrit autem qui ante alium currit: «cohoret, quae temere ante ceteras extra aciem procurrerat, circumveniunt» (*CAES. B. civ. 1, 55*); *citata* igitur procusione extrema illa birotariorum celeritas seu acceleratio rite redi videtur, quam vulgo *sprint* dicimus.

37. STATIONEM [*final de etapa - meta*]: «statio» est 'actus standi vel locus in quo consistimus'; consistunt autem petidores birotarii in *statione* (= «etapa»). — Dic etiam «metam», quam P. F. S. Vallejo adhibet.

38. ANGUSTIIS [*puerto gorge de montagne - gola di montagna - Schlucht*]: «angustiae» 'dicuntur de loco angusto, arto, brevibus limitibus clausus ut in mari, in saltu, in montibus'. — Dic etiam «fauces».

39. NAVAM CLAUSAM: ita latine reddidi *Navacerrada*, vocem hispanicam ad verbum exprimens; «Nava» autem vox esse videtur Vasconum propria, eaque significat «locum planum» qui montibus circumdatur, vel prata quae in montibus exstant.

40. ORDINE GENERALI [*clasificación general*]: ita aptissime P. S. Vallejo (p. 10, 13, 17); «descriptionem» etiam adhibere potes.

41. MINUTA [*minuto - minute - minuto - Minute*]: cfr. de hac voce PAL. LAT. 28 (1958) 287.

42. METAS MEDIAS SEU VOLANTES [*metas volantes*]: «meta» dicitur 'de termino quem quis obit vel circumit aut quo quis tendit'; «mediam» autem dicimus metam quia ultima non est; per translationem autem, ut apud nos, «meta volans» — in qua cursores non consistunt, sed quasi praeter eam volant — dici potest.

43. IN HISPANICO BIROTAE CIRCUITU [*la vuelta ciclista a España*]: pro

adeptus est praemia: nam victoriam in attingenda statione Derthosā-Barcinonem et Caesaraugustā-Oscam reportavit: qui quidem excursus⁴⁴ valde arduus fuit cum 70 chiliometra superanda essent et contra horologium⁴⁵ pugnandum; in hac excursione maculam viridem seu pugnacitatis⁴⁶ bis est indutus...; et adeo elato fidentiique animo ex his victoriis exstitit ut ad percurrendam «Rotam Auream parisensem»⁴⁷ accesserit; hunc tamen cursum birotalem, competitores belgae Van Loy et Cerāmi adepti sunt et in «parisiensi principum cursorum Criterio»⁴⁸ amicus tertio loco describi meruit.

10. Insequenti anno et ego ad «circuitonem birotalem gallicam»⁴⁹ competitor accedam in qua nomen et gloriam Hispaniae honestandom celebrandomque totis viribus curabo.

JOS. M.^º MIR, C. M. F.

genetivo «birotae», P. S. Vallejo adjectivū adhibet «birotalis, e» (= «birotalis homo», p. 21); quo et nos infra utimur; habet etiam: «cyclisticus» («de circuitu cyclistico gallico»).

4. EXCURSUS [etapa, corrida]: eo tamen sensu: ut tempus et loca quae percurrenda sunt hac voce significemus, non vero extremum illum locum in quo competitores cotidie conveniunt ibique consistunt; hunc enim locum supra «stationem, mettam» diximus.

45. CONTRA HOROLOGIUM [contra reloj - contre horloge]: ita P. S. VALLEJO «contra horologium» (p. 13); «adversarii eiusdem horologii» (p. 14).

sus horologium» (p. 24); «dicitur cursus «adverso horologio» (p. 13).

46. MACULAM VIRIDEM SEU PUGNACITATIS [maillot, jersey verde o de la combatividad]: «macula» saepius a P. S. Vallejo adhibetur (p. 11, 15); etiam «scutula» dici potest; «praemium pugnacitatis» (P. VALLEJO, p. 22).

47. ROTAM AUREAM PARISIENSEM [Rueda de Oro de París].

48. PARISIENSI PRINCIPUM CURSORUM CRITERIO [Criterium de los Ases]: «criterium» est a voce graeca κριτήριον = «instrumentum judicandi».

49. CIRCUITIONEM BIROTALEM GALLICAM [vuelta ciclista a Francia].

EPISTULARUM ECLOGARI

Quantum nostra adhuc aetate latina lingua vigeat et floreat, nos testes sumus qui in hac Sede *Palaestrae Latinae* tot epistulas accepimus ab amicis doctisque viris de quamplurimis rebus eiusque diversissimis agentibus. Quorum nonnulla verba seu sententias, eorum venia, in cognitionem lectorum nostrorum nobis proferre liceat, ut alias (Cfr. *PALAEASTRA LATINA*, N. 169, p. 23-25) ipsi fecimus.

Et in primis, Dr. Josephus Holzer, tanquam egregius antesignanus, seriem quaestionum ineat. Cujus haec est de novissima imprimendi ratione:

Ipse ego habeo, quod interrogem. Impressio offset quo pacto tibi reddi posse latine videtur? «Impressio seu excusio cylindris cummeis aut gummels?». Atramentum enim

typographicum in hac ratione imprimendi non directe in chartam inditur, sed cylindris gummeis tela contectis. Placet? Suggere, quae-
so, significantius, si quid tibi praesto erit!

Cui Moderator noster ultro ita respondet:

Diu multumque in animo mecum agitavi quae de impressione quam offset dicunt tu refers. Aptorem non invenio locutionem quae rem explicit et definit.

Sed non omnes facile nostram hanc locutionem intellegent, et in illam incidimus loquendi rationem a nobis saepius impugna-

tam minusve probatam: voces definitione quadam aut circuitu latine reddere.

Cum vero de re agatur et voce «internationali», «impressio aut excusio offsetiana» mihi non improbanda videtur. Dic ergo et «impressio graphica cylindris gummeis facta» et «impressio seu excusio graphica offsetiana».

Moderator quoque *Palaestrae Latinae* responsum dat M. H. B. Ruhe (Amsterdam) quaerenti «unde habeas nomen «pittacium» quod, si bene capio, significat «SELLO».

Vocem hispanicam *sello* (gall. *timbre-poste*, ital. *francobollo*, ger. *Briefmarke*) pluribus modis scriptores latine reddiderunt: «nota solutae missionis» (COGNASSO, ZENONI); «insigne solutae missionis» (COGNASSO, MARIANO BINI); «tessera (epistularis)» (Societas Latina; Taschenwörterbuch-Langenscheidts, 15 Aufl. 1955); «signum (affixum)» (COGNASSO, CAPELLANUS-LAMER, *Sprechen Sie L?* 11 p. 77); «pittacium» (COGNASSO); «pittacium cursorium» (COGNASSO); «pittacium Cursuale» (BACCI).

—Uti vides praecepui et clarissimi in latinitate viri «pittacium» adhibent quo schedula significatur vel chartae particula quae aliquid rei pice, cera, glutine aliave re affigitur (cfr. FORCELLINI et BACCI); «pittacio» vero adjectivum «cursuale» («vehicularium») addimus ut aperte definiamus et apte significemus agi de parva illa schedula quam litteris affigimus ut per publicos cursores epistula ad absentes perveniat.

Amicus noster Brasiliensis Dr. Josephus Florentinus Marques Leite inter plura in litteris nobis benigne a. d. IX kal. Januarias a. XCMX, Fluminne Januarii datis, hanc sententiam Moderatori nostro proponebat:

Patria nostra a primis jam temporibus BRASILIA nominari latine consuevit. Nunc autem (incredibile, sed possible factu est!),

Urbs Capitalis nostra —FLUMEN JANUARII— in eo est ut his tribus aut quattuor mensibus ad mediterraneam regionem sit migratura;

Praeses autem Brasiliensis Rei Publicae, novam hanc Urbem, quae nunc exstrutur, «BRASILIAM» appellare censuit (!). Qua de causa mihi in mentem venit ut proponerem mutandam veterem latinam vocem «BRASILIA» in hanc fideliorem, ut saltem nobis visa fuit, BRASILIS, gen.: Brasiliis; dat. et abl.: Brasili; accus.: Brasilem (masculini generis) quandocumque de natione tota brasiliaca sermo fiat. Quod diversis de causis adducor ut propo-nam: primo quidem ad discrimen inter nationem nostram universam, ut dixi, et ejus Urbem principem stabiliendum; deinde quod

Quibus litteris P. Josephus M. Mir, *Palaestrae Latinae Moderator*:

Rem acu attigisti tibi que gratulor quod novam vocem prudenter finxisti. Vestram igitur principem urbem Brasiliam appellemus, ut Praeses Rei publicae Brasiliensis decrevit;

Nunc vero nonnulla de lucubrationibus quibusdam quae in pagellas commentariorum nostrorum quondam insertae sunt. Et in primis clmus. poëta J. Morabito Rdo. P. J. Aramendia qui de modo celebrandi Dni. Jesu Nativitatem apud populos Europae sub indice *Adveniunt festivi Natalis Domini dies* (Cfr. *Pal. Lat.*, n. 168, p. 246-247) egit, haec verba quae sequuntur per litteras fecit:

Multis scholae rebus districtus hodie tam sero ultimum fasciculum *Palaestrae* anni praeteriti legi, praesertim ea quae de natalicis fabulis ipse scripsisti. Omnino nesciebam apud multos Europae populis tribuit sancto Nicolao quae nos Itali non sent illi,

vox lusitana BRASIL propinquior sane videtur. vocabulo latino BRASILE (M) —confer enim *abril* et *aprile* (m) *ovil* et *ovile*, *anil* et *inile* (m), *fabril* et *tabrile*, *gentil* et *gentile* (m), *pueril* et *puerile* (m) atque ita porro—; tertio denique quia ab historia ipsa acceptimus naturam adjectivi, non substantivi nominis existisse lignum *brasile*, scilicet lignum ad tingendum seu infectendum rubro colore, secundum germanicam loquaciam *bras-brasa*, quae sibi vult: «pruna». Vide W. MEYER-LÜBKE, R. E. W., 1276. —Vale. Tibi semper Xpus. adesto!

patriam vero vestram *Brasilem* (*Brasiliis*, -is) —eaquae quam proters nominis declinatione— in posterum nominemus.

sed vetulae (quam «Befanam» vocamus) tributimus: res vero eadem fere sunt. In tuis libris tortasse est primum volumen quod *Humanitas* inscribitur quodque in Lusitania Gonçalves edidit; lege sis ibi meum carmen *Idyllium*, quod scripsi anno 1938.

Clmus. vir et professor Bonamicus Actensis (*Hartfordia Connecticutensis Occidentali*) *Pal. Lat.* Moderatori Idibus Martiis a. MCMLX, haec verba etiam habuit:

Scripta Reverend. mi J. Jiménez Delgado maximo studio assensuque perlegi. Ipse autem quod tam multos in latine loquendo laborare et in solebra haerere vidi quod illarum locutionum quae omnibus linguis nativae peculiaresque sunt non erant compotes, putabam aliquid esse addendum. Praeterea tantum de difficultate nostrae linguae a detrectatoribus dicitur, quod eatenus falsum est ut eaedem difficultates in omnibus linguis

descendis silentur, ut cavendum esse arbitrarer ne huic notioni nimis ponderis daretur. Hanc ob causam haec exaravi quae spero fore ut tibi videatur in *Palaestra* edi.

Ipse jam in Collegio Scti. Josephi scholam lingua viva exerceo. Sunt magnam partem magistri et magistri, sed sunt in schola duae tresve puellae quae docere volunt. Haec «classis» e nostris congressibus originem duxit.

P. Caelestis O. S. B., a nobis petiit ut haec verba quibus ejus commentariolum suppleretur, in loco opportuno fasciculi proximi *Pal. Lat.* typis describerentur:

De commentariolo separatis missis, quo agitur de pracepto praecepit latine scribendi, Johannes Carolus Pulchrimontanus summopere gavilus cum alta tum haec rescripsit:

Pauca de novissima Tua symbola mihi dicere liceat. Praeter nonnullos errores typographicos, quos non correxisti, oblitus es, nisi fallor, annum indicare, quo Liebertus natus est¹.

Ceterum nonnulla de rebus Lieberti scripsisti, quae mihi, licet eo rectore gymnasium et lyceum frequentaverim, ignota fuerunt. Sed de una re te certiorum facere posse arbitror, qua re commotus Liebertus epistulam Niebuhrianam latine reddiderit. Sine dubio ille cum Seyfferto contendere voluit, qui ipse hanc epistulam in linguam latinam converterat in parvo libello, qui incribitur «Übersetzung einiger Stücke aus der Palaestra Ciceroniana» (Lipsiae 1876²). Fuit quidem Seyffertus ut ita dicam, Ciceronianis-

simus, sed Liebertus sine dubio demonstrare voluit multa simplicius dici posse. Nam Liebertus non unum aliquem auctorem veterem sequi voluit, sed sua quadam latinitate utebatur admirabiliter solertia praeditus difficultas sententias Germanorum scriptorum latine reddendi.

Ceterum multis ex annis saepissime in memoriam Lieberti redeo et magnopere me paenitet me quandam illum non ea, qua parerat, animi attentione et veneratione audisse. Memini quidem me multis cum lacrimis inopinatam ejus mortem competrisse, sed nobis adolescentibus natura ejus morosa, ut non dicam austera, displicebat; praeterea illa aetate, qua tum eramus, multum astit, ut probe intellegeremus, quanta doctrina in illo viro inesset; itaque, ut sunt juvenes, severam ejus disciplinam taciti³ respuebamus. Nunc vero me paenitet.

Utrum «benigne» an «gratias» latine sit dicendum, ipse P. Caelestis Bonamici Actensis sententiam amice quoque redarguit. Cujus verba legantur oportet:

Praeterea magno cum studio ea in novissimo Palaestrae Latinae fasciculo perlegi, quae Godwinus⁴ B. 4 Beach perscite de communi inter doctos lingua conscripsit verbis ad persuadendum aptissimis⁵. Tamen ejus sententia, qua putavit ibi latine dicendum esse «benigne», ubi Angli dicere solent *oh, thanks,* Francogalli *merci*, Germani *danke*, ad naturam linguae latinae minus convenire mihi videtur,

cum praferenda videatur dictio «gratias» (Tib. vel similiter). Nam ipsi Romani antiqui jam saepissime verbum «agendi» omiserunt, ut dicenter: PETRON. 57, 10: «gentio illius gratias». PANEG. 11 (3), 15, 3: «gratias tibi, gratias, imperator, si..., et plures gratias..., si... 6.

Pernotum est etiam illud Christianorum antiquorum, quod ajunt: «Deo gratias». 7.

En modo duo clm. viri qui se animi gratos praebent quod inter eos qui in PAL. LAT. sua scripta produnt, adscribantur et cooptentur:

Si possibile erit referre meas versiones in PAL. LAT. sua scripta produnt, adscribantur et cooptentur:

optime Dne. Moderator, tibique quam pluri-
mas gratias habeho! (RAPHAEL PAONE, Patavi).

-
1. Natus est Augustae Vindelicum die 18° m. Martii a. 1844.
 2. Nam aperte recalcitrare periculum fuisse.
 3. Cf. EGGER, Lexicon nominum virorum et mulierum, Romae, 1957, p. 89: Godwin.
 4. Ceterum nescio, quod nomen B. littera significetur. Potestne indicari?
 5. PAL. LAT. n. 170: 30 (1960) 94-96.
 6. Cf. THLL VI, 2 p. 2226, 18-27: ellipsis verbi.
 7. Cf. THLL VI, 2 p. 2233, 21-59: *gratias* (*omisso verbo*).

Legi tuas litteras, nuper mihi redditas, quibus ad me scribis (Moderator enim scriperat) gratum tibi esse quod in fasciculo mensis decembris carmen meum, cuius Olym-

pia est index, certo evulgabis. Gratias igitur quamplurimas, uti par est, tibi defero (PETRUS BRUNO, Romae).

Saepe a quibusdam amicis de libris scholaribus PAL. LAT. et de opere *Nova et Vetera*, et de *Cursu linguae latinae Polyglophono CCC* a moderatoribus horum commentariorum exaratis sententiam judiciumque accepimus et interdum ab aliis rogamus quibus condicionibus haec opera commodari possint. Ut tandem uno tenore omnibus respondeamus, duas epistulas afferre liceat, quibus de hoc negotio eis, quorum intererat, rescripsimus. En prima epistula:

In «Vita Latina» mensis maji 1960, nuntiatis opus nuper editum, cui titulus «Cursus linguae latinae Polyglophonus CCC».

Quae ibi de eo dicta sunt, mihi multum placent, et fortasse eum a vobis emam.

Sed antea indicia quaedam a vobis querere velim:

I. Primam partem tantum nuntiatis; quot partes complectetur cursus completus?

II. Quot «Novis Francis» respondent

1425 «pesetae» quibus veneunt 12 libelli cum discis in theca «plastica»?

III. Quomodo e Gallia in Hispaniam eam pecuniam ad vos mittere potero?

IV. Mihi jucundissimum erit, si ejus Cursus aliquot folia, ut «specimen», ad me mittere potueritis.

De his omnibus indicis maximas vobis ago gratias. Valete.

A Rodot, Canonicus (SAINT-CLAUDE, Jura, France).

Qui hoc a Rdo. P. Jesu Aramendia responsum accepit:

Jesus Aramendia, C. M. F. honestissimo viro A. Rodot s. p. d.

Nobis indulgere velis, Reverendissime Dne., qui hisce diebus ad te, ut oportet, rescribere nequivimus. Nunc vero libentissime epistulae tuae tuisque quae sitis responsum damus:

1) Cursus Linguae Latinae CCC, qui in PAL. LAT. nuntiatur, duas partes complectetur; nunc alteram paramus partem.

2) Illae 1425 pesetae, quibus 12 libelli

cum discis in theca «plastica» veneunt, 116'32 Francs Novis respondent.

3) Quam pecuniam ad Dnum. Eduardum Aubanel Editorem (*Place Saint-Pierre 7, AVIGNON*) mittere poteris, vel recio tramite ad nos per publicas argentarias.

4) Libenti animo tibi specimenis causa misimus quosdam libellos «Cursus Latini CCC cum discis».

Valeas, optime et Reverendissime vir.

En altera epistula qua de eisdem fere rebus pridie Kal. Jun. a. MCMLX e Seminario quodam gallico clarus Professor J. Danten interrogavit:

In decimo VITAE LATINAЕ libello, Aventione in Gallia edito, laetus inventi novam latinitatis ediscendae viam, quam per sonum et imaginem nobis experientiam proponit.

Ille quidem «Cursus linguae latinae polyglophonus» mihi discipulisque meis perutilis videtur.

Quin ad me unum ex illius Cursus XII libellis exemplum mittis, ut cognoscam quomodo hac via et ratione cum gallicis

alumnis uti possim? Spero fore ut experti discos libellosque cunctos accipere cupiamus.

Et scribe, queso, mihi, quomodo necessaria pecunia ad te mittenda sit. Postalis enim adsignatio «internationalis» haud exiguae impensas affert. Si quem ergo bibliopolam tuorum librorum venditorem habeas in Gallia, apud eum libentius emam discos libellosque tuos. Cura ut valeas.

Rdo. Joanni Danten M. Molina, C. M. F.,
s. p. d.

Magnopere gaudemus quod ad te nuntius
«Cursus Linguae Latinae Polyglophoni CCC.
decimi Vitae Latinae libelli ope pervenit.
Duos discos et quattuor libellos tibi per
cursualem viam misimus, quibus certior fias
nostrae hujus rationis ediscendae linguae
latinae. Si tibi, ut speramus, discipulisque
tuis placuerint disci et libelli quos in speci-
men seu exemplum misimus, integrumque

Cursum comparare vis, fac de re certiores ut
nos ipsi tibi mittamus.

De pretio solvendo, nihil curae, nam in
Gallia bibliopolam amicum habemus, quem
emptores nostri facile adire possunt. Qui est
Dnus. Eduardus Aubanel, Editor (*Place Saint-
Pierre 7, AVIGNON*).

Utinam «Cursus Linguae Latinae CCC.
tibi arrideat atque probetur.

Litteras latinas, humanissime Professor,
nostrasque res amare perge.

Nunc duae de commentariis nostris benevolae sententiae, quas nobis
humanissime honestissimi viri atque amici protulerunt:

Ad benemerentes autem Commentarios,
qui «PALAESTRA LATINA» inscribuntur quosque
tu tam sollerter moderaris, ego, ut candide
fatear, in *hisdem* —quamdiu Barcinone fui
(1942-1949) — lectitandis ac perlegendis «mag-
nopere etiam delectabar».

Nunc vero, re hujusmodi carens, neque
«Palaestram» neque «Palaestram Adulescen-
tium» rite accipio exindeque legere nequeo!
Quamobrem, ut de *tuis* Commentariis mea
«Latina Lingua» et «Tirones» in editione pro-
xima mentionem habeant, pergratum revera

mihil facies, si quam primum utriusque libel-
lum *nuperrime* vulgatum summa tua huma-
nitate miseris.

(P. Nicolaus Lusito, O. M., Paula, a. d.
IV Id. Jul. a. MDCCCCLX).

Quid de Commentariis *tuis*? Illa profecto
manet ad unum firma consensio, *hisdem* lati-
nas litteras scite studiose et perinde avide
arripi. Qua de sententia, vere quidem ex-
posita, tibi vehementer gratulor Vale.

(Petrus BRUNO, Romae).

Lectoribus demum praebemus litteras carissimi nostri P. Avenarii, quem
in morbum subito incidisse et a chirурgo secatum esse in genu vehementer
doluimus, quemque nunc ex morbo jam convaluisse vehementius gaudemus.
Videant igitur lectores quantum latinitas polleat et vigeat, ut, quae latine
dicendi Avenarii amici est peritia, morbus morbique eventus adeo eleganter
et subtiliter verbis latinis nostra aetate describi possint.

Non mirer, si jam aliquandiu querere
cooperis, cur tam diu sileat socius ille
Thyrsutensis, et timeas, ne quid sent acci-
derit adversi. Veniet, nihil crede, etiam hu-
jusmodi eventus rerum, ut dactylographium
meum nullis amplius meis digitis pulsetur,
sed Deo propitio adhuc moventur brachia
crura caput corpus omne, atque venisse
censeo tempus scribendi, ne torus hic ipse
jubilaei annus abeat sine litterarum munere
mearum. Utinam saltem omnibus singulis,
qui, quod dixi jubilaeum, mihi congratulati
sunt, ante hunc diem respondere potuissent!
Ne facerem et occupationibus impediabar et
quibusdam incommodis, quorum maximum
fuit quattuor hebdomadarum in vicino oppidi
hujus nosocomio cubatio, sano cum essem

corpo, tantummodo affecto patellari bursiti-
de genu dextro. Malum, quid esset, nescius,
adventare senseram primis anni mensibus,
sed creverat versus ascensionem Domini
adeo, ut satius esse statuerem adire peritos.
Respondetur sectione opus esse et quiete sex
dierum. Cum sacrarum rogationum instant
dies, quibus diebus meam operam necessariam
fere arbitrabar in vicino oratorio, in quo ope-
rari sacris soleo, ad quod illis diebus coetus
peregrinantur fidelium, respondi mihi illo
triduo non vacare, venturum postea. Interim
audio id genus inflammations leni rubrae
luci radis, assido ad eam irradiatoriam
lampadem, genu meum semihoram diligentis-
sime usque ad patellae os amburens. Pellit
deglobitur, nihil prosunt jam unguenta et

fomenta. Pridie Kal. Junias retineor in valitudinario. Bis in die circumligatur genu ad restinguendam inflammationem. Die octavo chirurgus immissa subula temptat trahere foras bursae mucosae mucum, qui tamen rubris raditis meis coagulatus erat, ut nihil flueret. Quapropter eo qui secutus est die subrotato jacens carrulo vehor in officinam in chirurgicam. Hic ne deciderem coepit sectione, alligor, frustra intra me gemens reptionem libertatis meae. Tum per tenuem telam instillant nescio quid gaseum aethreumve, dum jussus recito numeralia cardinalia a primo usque ad trigesimum paucis etiam omissis. Sic cum narcotice mihi ipsi eruptus essem, in sopito corpore facta sunt, quae postea ab illis qui interfuerant rescil. Archiater cultro sub patella genus secuit semicirculatam lineam, patella erecta coagulum muci perpurgavit, super duas fasciolas patellam reposuit, pellem consult. Negant se genu vidiisse taetrius. Ego non ignarus morbos genuum saepe fatales exstisset, ea in re parere malui consilii peritorum, quam, quae vellem ipse, facere. Non enim ego passus essem curam in nosocomio duci ad diem

S. Aloisii, praesertim cum atrocitati aspectus nulla responderet doloris atrocitas. Ceterum lentam res habet sanationem nequedum nunc, post quatuor menses, adnitor sanescenti genui, quoad postrema evanuerit clausi vulneris crux.

Haec igitur fuit una causarum, cur non prius scriberem. Accessit quod nepos meus cupiebat me suas in sacris functionibus tenere vices, dum ipse eucharistico illi congressu interesset. Ergo in illam regionem proficendum erat, inde huc revertendum, stringenda et solvenda sarcina. His autem adventicis rebus factum est, ut mihi tam diu quiesceret machina. Tardabat etiam postea necessitas accuratius cognoscendi mutationes liturgicas per proximum fasciculum Actorum Apostolicae Sedi vulgatas, in quibus acerba est tanta recisio sollemnitatum divisorum Apostolorum atque coryphaei fratris, neque non laeta inscriptio in calendario Ecclesiae Universalis praeclarissimi patris et .patroni vestri, divi Antonii Clareti episcopi, quem honorem tibi et omnibus sodalibus Claretianae familiae gratulor. Vale.

M. M. ECLOGARIORUM CURATOR

PER ORBEM

Alter Conventus Studiis Classicis Provehendis. — Matriti proximo anno 1961, mense aprilī a Societate Hispanica congregabitur. Qui quidem nuntius omnes Hispanos permulcebit, eos praesertim qui primo, anno 1956 coacto, interfuerunt. In eo haec pertractanda suscepta sunt: 1) Prospectus hodiernae grammaticae graecae et latīnae (M. S. RUIPÉREZ). 2) Quomodo Plato saeculo hoc nostro XX interpretationi subiciatur (F. RODRÍGUEZ ADRADOS). 3) Poētae novi (M. DOLÇ). 4) «Traditio» classica in litteris hispanicis nostrae aetatis (J. S. LASSO DE LA VEGA). 5) Quid de Tartesso quaerendum (A. BLANCO FREIJERO). 6) Philologia et jus romanum (ALVARUS D'ORS). 7) Quaestio quaedam (nondum designata) circa scientiarum veterum historiam. (P. LAÍN ENTRALGO). 8) Quomodo linguae classicae hodie tradantur (E. HERNÁNDEZ VISTA).

Qui quodcumque ad has vel ad alias res spectans scribere voluerit, mittat ante calendas Martias: J. Lasso de la Vega, ab Actis, Duque de Medinaceli, 4; Madrid (14).

Pontificia Universitas Salmanticensis nova «Facultate», quam ajunt, aucta est, seu potius quae jam pridem extiterat, in melius mutavit. Nam quae antea Facultas Philosophica tantum erat, exinde Facultas philosophica erit et litteraria, quae tribus partibus continebitur: Philosophia, litteris humanioribus seu philologia classica, paedagogie. Ideo Illas omnes disciplinas complectetur quas hujusmodi Facultates consueverunt. — Cum Moderatoribus laetamur eisque libentibus animis gratulamur.

XI Certaminis Capitolini A. 1960 Victores renuntiati sunt: Aldus BARTALUCCI ob laborem: *Philologi somnium*, Theobaldus FABRI ob «Varia hominum studia varisque labores». Laude ornati sunt: Albertus ALBERTANI, Albertus ALBERTINI, Orestes ALLAVENA, Remus BRIGHI, Mieczyslaus BROZEK (Cracoviensis), Josephus IACOMETTA, Aedilius MARELLI, Jaochim PETROLI, Ignatius POMA, Félix SÁNCHEZ VALLEJO, Hispanus, ob «Gallia birota circuitur» vivacem narrationem, Gabriella VENTURELLI.

Simul ac victores praedicantur certamen Capitolinum XII in annum 1961 nuntiatur.

Praemium Romae Cultoribus quotannis ab Instituto Studiis Romanis provehendis oblatum, hoc anno tributum est cl. v. Andreae ALFÖLDI, (natione Hungaricus) in Universitate Princetonensi (*New Jersey*) egregio doctori.

Praestantissimi Viri Societatis Hispanicae Studiis Classicis Provehendis Supremum Hispaniae Ducem adierunt, quem ut Praeses honoris causa II Conventus Matriti congregandi esse vellet et Patronus rogaverunt, eique commentarios *Estudios Clásicos*, et *Bibliografía de los EE. CC. en España* et *Actas del I Congreso Español de EE. CC.*, obtulerunt. Praesidem esse et Patronum Supremo Duci Francisco FRANCO placuit, qui et verba laudis plena et gratulationis et stimuli pronuntiavit.

Inventa archaeologica. — Inter alia plurima hec unum recensebo: sub via, in Pyraeo Athenensi, unum metrum altam casu inventam esse apothecam quandam parvam, a Sulla, uti videtur, anno 86 a. Ch. n., igni traditam. In ea apotheca octo statuae jacebant, affabre factae, in Italiam mittendae, ex quibus quinque aheneae. Quanti haec statuae facienda sint, aheneae praesertim, ex eo patet quod una tantum statua aenea adhuc in terra (non in mari) graecanica inventa est.

In Afghanistania inventa est prima inscriptio graeca edicti ASOKĀ, Regis Budhistae, aequalis Antiocho II, Antigono Gonathae, Alexandro II Epirensi, Ptolomaeo Philadelpho. Inscriptio petrae insculptae edictum ex lingua indica in graecam conversum exhibet.

Latina Lingua. — Commentarios novos, latine scriptos, «*Latina Lingua*», nomine insignitos nuperrime editos summo gaudio salutamus. Non ita pridem commentarioles scholares «*Tirones Latinitatis*», ortos, in PALAESTRA nuntiaveram. Nunc brevissimo post temporis spatio, decora forma vestitos rerumque jucundarum plenos hos commentarios adultos videmus. Tanti operis auctoribus fautoribusque, ex Minimorum Ordine, optima quaeque ominamur. Adhuc duos fasciculos legi, quibus separatim editae *Tirones pagellae* —alumnorum opus— adiciuntur. Epistulae mittantur: *Lingua Latina*, PAOLA in Italia. Commentarios moderatu: R. P. Nicolaus LUSITO.

Apud Brasilienses studia partesque nostrae in dies florere pergunt. Post Conventum illum «*I Congresso Brasileiro de Cultura Greco-Latina*», Sancti Pauli (*São Paulo*) coactum, nova consociatio creata est, cui nomen: «*União nacional de Cultura Greco-Latina*», quae promoveret et studia classica et cultum sive scriptis sive acroasibus. Conventus etiam «nationales», tertio quoque anno saltem congregandi, decreti sunt. Anno 1961 alter Conventus in urbe *Belo Horizonte* habebitur.

Consociatio commentarios quoque cyclostilo excusos et charta et rebus scriptis maxime commendandos, quibus est index *Graeca et Latina* edendos curat. Societati preeest cl. Dr. Gerardus de ULHOA CINTRA. Ab actis generalis Jos. Florentinus MARQUES LEITE.

R. P. Victorius Genovesi, laureatus Poëta latinus et clarissimus Sacrae Rituum Congregationis hymnographus a Joanne XXIII, Pontifice Maximo benigne receptus est et laudibus cumulatus. Summo Pontifici carmina omnia in volumen 720 paginarum collecta obtulit atque donavit.

CLARUS VIR RENOIR, clarissimus cinematographus interrogatus ab adulescente quid sibi faciendum esset ut ipse pelliculas et facere posset et moderari, respondit: «*Linguae latinae vaca et Virgiltum lege*». Haec opinio auctoritatis est maxime. At jocari iis in primis videbitur Renoir, qui in instrumentis adhibendis totam artem cinematographicam contineri putaverint. At in «pelliculando» una technie non sufficit neque instrumentorum copia, sed requiritur et celeritas ingenii et mentis acies et vis ardorque animi... Quae quidem nullibi melius invenies quam Vergilium Ovidiumve legendo...

In Instituto Studiis romanis provehendis habitus est coetus in quo de sermone latino quanti sit quantique faciendus maxima auctoritate disputatum est. De quo confirmatum est et *momentum* ut viri novi cum veterum cultu commercium instituant et teneant, et *virtus* ad animos mentesque formandas et acuendas, et *opportunitas* ad studia ingenua et libera fovenda, his praesertim temporibus quibus homines uno tantum utilium rerum amore rapiuntur. Idque in votis habuerunt ut lingua latina quam maxime in dies propagaretur et a quam plurimis omnium gentium viris adhiberetur, et ut novis viis rationibusque novis a magistris traderetur.

Biduo post magnam lugendamque illam elluviem ex muris aquae vi ruptis exortam, qua FORUM JULII (*Fréjus*) anno superiore penitus deletum est, duo monumenta manebant: murus paludis artificialis anno 1956 structus, et arcus aliquot aquae ductus veterimi utpote romani... Postridie tamen murus artificialis dehiscit et evertitur totus... Arcus bis millenarii aquarum impletum sustinent invicti... Ut arcus illi romani humaniorum litterarum et artium cultus... Multa mutantur et nutant. Impavida nostra procedunt... Ita V. HERNÁNDEZ VISTA merito commentabatur... (*Estudios clásicos V* (1960) 398).

Hoc anno apud Hispanos commemoratus est **millesimus a Bibliis visigothicis-mozarabis Legione** (León) die 19 m. Julio a. 960 scriptis, et XIV anniversarius post Stum. Isidorum Hispalensem natum. Hanc nacti occasionem ex omnibus gentibus viri studiosi peritissimumque multa investigarunt investigataque Legionem cum convenienter, proposuerunt a die 28 m. sep. ad 6. m. Oct. hoc anno.

Et de epulis loquamur... Si quando convivari liceat (—libebit certo certius—) cum amicis sive invitans sive invitatus, si minus convivium opinorum instruere poteris, praebe saltem lepidissimum. Amici amicis epulas daturi hunc prandii ordinem statuerunt.

Ordinem prandii diligenter attendite, convivae!!!

- | | |
|---|---|
| <p>1. — Nectar apertivum cum gustatoriis
atque oblectamentis: petasone, lucanica...</p> <p>2. — Sorbitio ex succo pinguis gallinae
confecta</p> <p>3. — Artocreas onisci, seu gadi merlucci,
embammate lycopersici conditum, atque ru-
bra carota ornatum</p> <p>4. — Mollissima caro pulli gallinacei toe-
ta, fungo eduli adhibito. Vinum campanicum</p> <p>5. — Copia pomorum cum liquore</p> <p>6. — Libum mellariis sacchareis opulen-
tum</p> <p>7. — Cupediae gelatae</p> <p>8. — Pocillum cafei</p> | <p>9. — Liquores: coniacum, anisatum, «qua-
draginta tres»...</p> <p><i>En aliam ceneae chartulam.</i></p> <p>1. — Oblectamentorum copia</p> <p>2. — Phaseoli cum vitulina rotundata</p> <p>3. — Asellus cum magonico embammate</p> <p>4. — Pullus in acetalis</p> <p>5. — Crustula gelu coagulata</p> <p>6. — Cafeum</p> <p>7. — Optimae notae vīna, una cum cam-
panico</p> <p>8. — Liquores: Rhonium, coniacum, ani-
satum</p> |
|---|---|

P r o s i t !

Forsitan quaedam hic inscripta ne dictionariis quidem ope intellegas.
Noli anxius esse. Rem tene quae apponetur... cetera non nimis curanda...

Avenarium nostrum quinquagesimo quo sacerdotio initiatus est anno recurrente, laudibus decorare et volui et intendi. At ex illis annis *quinquaginta*, annos *decem* neglegentia captus, surripui... Scripsi enim eum *quadragesimum anniversarium adimplere...* Quem anniversarium plurimi sa-
cerdotes attigerunt; *quinquagesimum* longe paucissimi... Inter quos paucissi-
mos Avenarium nostrum numera, cui iterum iterumque gratulor ex animo.
Nam anniversarium *aureum* quem dicunt celebrare licet, non vero *quadrage-
simum vel alium qualecumque*; ne forte et tibi quisquam susurret quae
—ut ipse narrat Avenarius— amicus amico omnes et singulos anniversarios
dies celebranti, susurravit: A E I O U. Quae cum sodalis noster ecquid sibi
vellet ejusmodi vocalium ex ordine enuntiatio, amicus iterum A E I O U
mussitavit et interpretatus est: «Alte Esel Jubilieren Ohne Unterlass» (Ve-
teres asinos jubilare sine intermissione)... Et est cur rideatis, amici!

Schola Superior Latinitatis (Escuela Superior de Latiuidad).—Salmanticae
hoc anno apud Pontificiam Studiorum Universitatem schola aperitur in qua
lingua latina amplius informentur qui vel in dioecesium curiis vel in scholis
et Seminariis latine loqui vel scribere debent. Scholam Latinitatis Superio-
rem adire possunt etiam omnes Studiorum Universitatis Pontificiae alumni
et vel aliarum scholarum. Bis in hebdomade schola aperitur ab hora 5 ad 6
vespertinam diebus Lunae et Veneris. Curriculum hoc anno R. P. Josephus
Jiménez, C. M. F. moderabitur.

Vita functi sunt. — Josephus VENDRYES qui una cum Antonio MELET, egregio Doctore, in studiis indoeuropaeis Galliae primum locum habet, quique in Hibernia et alibi habitus est studiorum celticorum auctor et magister. Cujus inter alia haec opera recensenda arbitramur: «*Recherches sur l'histoire et les effets de l'intensité initiale en latin*» (Parisiis, 1902), *De hibernicis vocabulis quae a lingua latina originem duxerunt* (Parisiis, 1902. latine), *Traité d'accentuation grecque* (1904, saepe editum), *Le langage* (Parisiis, 1921), *Traité de grammaire comparée des langues classiques* (Parisiis, 1924). Praeter multa alia quae in commentariis edidit summi momenti. Anno 1952 Officina Libraria Klincksieck edidit: «*Choix d'études linguistiques et celtiques*», in quo mens et doctrina Jos. VENDRYES comprehenduntur. Ejus vitae curriculum ab anno 1875 ad 1960 producitur.

Plinius Faccaro (182-1959) qui historiam graecam et romanam coluerat. Studia circa Varronem Catonem, Scipiones, Gracchos praesertim magni ab omnibus eruditis viris habentur.

Anno 1959 nonaginti annos natus Villelmus Nestle, historiae graecae et litterarum scriptor secundus.

Gustavus Lefèvre, qui juvenis papyrum Aphroditopolitanum inventerat, qua Menandri comoediarum quinque magni momenti fragmenta continebantur.

Die 10 m. nov. Felix Jacoby, Kielensis doctor, qui fragmenta historico-rum graecorum exstantia edenda curaverat. Opus tamen imperfectum reliquit.

Adolfus Schulen, nonagesimum annum aetatis agens in urbe Erlangen. Quamquam natione germanus, hispanus haberi potest et meretur, quod multa Hispaniae nostrae monumenta investigaverat ut Numantium, Tartessum aliaque.

In pace Christi quiescant.

JACOBUS SIDERIA, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

KREFELD, HEINRICH. — *Die Gedichte des Archipoeta*. Heidelberg, Carl Winter, Universitätsverlag, 1958.

Liber 152 pagellis constat. Res critica a Doctore Henrico Waterphul in adversariis exarata fuit: nunc a Doctore Henrico Krefeld in lucem editur. Libri vero dispositio facilis ac luculenta: Praefatio (pp. 7-11). Breviationum notio (pp. 13-18). Vita atque opus Archipoetae (pp. 19-45). Libri textus (pp. 47-83). Commentarium (pp. 85-147). Index (pp. 149-152).

Poësis latina eorum qui humanioribus litteris student tamquam analecta hic lectori miranda proponitur. Sic Archipoëta:

Ne sim reus et dignus odio,
si lucernam premam sub modo
quod de rebus humanis sentio
pia loqui jubet intentio (p. 47).

Opus sane criticum litterarum, cui commentaria magni prorsus ingenii adduntur. Quamquam praeclarus scriptor praefationi illa voce finem facit: « Multum adhuc restat operis multumque restabit. » (SEN. Ep. 64, 7).

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

PÉREZ RUIZ, FRANCISCO, S. I. — *El concepto de filosofía en los escritos de Platón - Filosofía y sabiduría*. Comillas 1959

Hic liber vera est lucubratio philosophica quam etiam dicere possumus cogitationem de ipsa philosophia secundum Platonis opera

Scriptor optime mentem Platonis intellegit et per varia platonica scripta tute libereque pergit, plurimas quaestiones philologicas et historicas praetermittens quae nihil ad rem ipsam philosophicam pertinent.

In primo capite aspectus, quibus philosophia Platonis ostenditur, auctor memorat; apparent enim haec philosophia vel ut discendi studium, vel ut studium sapientiae quam tantum dili habere possunt, vel ut studium aliquius rel quae fines vitae hominum superat.

Itaque philosophia, apud Platonem, est aliquid quod ab hominibus absolute et perfecte non habetur nec haberi potest.

In secundo capite altius perscrutatur quomodo philosophus vir, qui sentit se sapientiam non habere, se gerere debeat in discipulis instituendis. Veri philosophi non est, inquit Plato, tradere corpus praceptorum prius confectum, sed discipulum ducere donec ignis sapientiae ejus animum incendat.

In tertio capite convenientiam philosophi cum veritate examinat. Philosophus platonicus assiduus veritatis inquisitor est, quam segniter comparat, quamvis per totam vitam non eam perfectam adipiscatur.

In libro P. Pérez Ruiz, summa laude digno, vera philosophica mens Platonis describitur.

Optima bibliographia opus aperitur idque clauditur tribus brevibus appendicibus et locorum indicibus Platonis scriptorum qui in libro commemorantur necnon auctorum qui in ipso laudantur. Quibus omnibus opus utilius praebetur legentibus.

J. GARCIA, C. M. F.

EISENHUT, WERNER. — *Die Lateinische Sprache. Ein Lehrgang für deren Liebhaber*. Ernst Heimeran Verlag. München 1959.

Hic liber jam in eodem libri indice quid habeat rerum praebet: nam linguam latinam quod ad historiam linguae et ad litteras et ad grammaticam complectitur. Primum summum linguae latinae conspectum affert (in quo etiam litterarum appellationem seu pronuntiationem investigat et « instauratam » proponeat), deinde rem grammaticam. In ea parte regulae brevi classicorum sententia continentur et explicantur. Tandem breve etiam litterarum latinarum specimen traditur, in eoque veterum auctorum adjuncta historica et litteraria illustrantur dum operum fragmenta offeruntur legenda.

Liber ita traditur qui linguam latinam amant et agnoscere cupiunt, qui tamen pueri non sint. Est optima in linguam latinam introductio.

JACOBUS SIDERIA, C. M. F.

CARROZZI, L. — *Latinitas christiana, antologia di autori latini cristiani*, Soc. Ed. Dante Alighieri, 1959 Milano.

Momentum hujus opusculi, quod in corpore TRADITIO adnumeratur, versatur in diligentissimis commentariis in singula scripta confectis et ad paginarum calcem positis: quae principia grammatica exegeticis miscent ut mens antiqua scriptorum christianorum nullo fere discrimine et varietate modo loquendi illius temporis propriis, perspicue ab omnibus conspiciantur.

Nec obliisci possumus excerpta quae selecta sunt ex optimis et locupletissimis scriptorum.

Sunt enim variis generis scripta, quae novitate argumentorum et dicendi ornamentiis optime nobis patefaciunt et naturum artis et honestatem atque integritatem animorum et ardorem fidelium primorum scriptorum et poetarum christianorum qui latine opera exararunt.

Itaque mentem latinam-christianam compierimus in excerptis operum Tertulliani (pg. 14-30), Minucii Felicis (31-37), Caecilius Firmiani Lactantii (38-48), S. Ambrosii (49-77), Aurelii Prudentii (78-87), S. Augustini (88-113), S. Hieronymi (114-125).

Unicuique scriptori notula historica et litteraria apponitur.

Quae propria sunt linguae latinae christiana, tum ea quae ad vocabula, cum ea quae ad grammaticam et ad elocutionis rationem pertinent, in appendice (126-132) composite conjuguntur.

J. GARCIA, C. M. F.

ERNST HEIMERAN und MICHEL HOFMANN. — *Antike Weisheit. Eine Sammlung lateinischer Gedanken. Urtext und Uebersetzung*. Bei Ernst Heimeran in München 1959, 7 Auflage.

En fasciculus sententiarum a veteribus Graecis Romanisque prolatarum de Deo, de

mundo, de homine, de anima, de corpore, de pulchro, de vita, de arte, de mente, cet... ab Ernesto Heimeran, Editore clarissimo, collectus. Hae sententiae quae totam hominis vitam amplectuntur, textu primigenio afferuntur graeco vel latino et versione germanica, fontibus ubique allatis. Usitatissimae etiam sententiae et brevissimae in extremo libro colliguntur.

Quantum apud Germanos hic liber fiat ex eo sequitur quod jam septies editus est cum 21 millibus exemplorum ab anno 1932.

PLATON. — *Phaidon*. Griechisch und deutsch herausgegeben Franz DIRLMAYER. Ernst Heimeran Verlag. München 1959, 2 Auflage.

Non ita pridem hujus ipsius operis prior editionem —anno 1949 in lucem datam— nuntiavi. Nunc denuo appetet eadem ratione ac ante et in melius redacta.

Id notatu dignum aestimo: librum hujusmodi denuo nostra aetate edi quia tales legere aequalium nostrorum interest. Animis aequalium nostrorum veritatis exiles et jejuni, tantam litterarum recentium vacuitatem fastidiunt expetuntque rem solidam mentem alentem. Plato mentes adhuc alere potest «materialismo», ut ajunt, crasso imbutas. Hujus rei testimonio haec nova Phaedonis editio sit.

CICERO MARCUS TULLIUS. — *Atticus-Briefe*. Lateinisch-deutsch. ed. Helmut KASTEN. Ernst Heimeran Verlag, München 1959, pg 1195.

Juvat hoc uno volumine non majus mole —nam charta subtili editur— omnes Ciceronis litteras ad Atticum amicum missas, collectas habere easque textu latino ad fidem codicum exacto et accurata in germanicum translatione ditatas. Utrumque hic aestimandum.

Etsi Auctor criticam editionem a H. Sjogren cognoscit et adhibet, tamen et ipse —cum rei sit peritissimus— sua proponit. Quae tamen ut facile consuli possint, singularium librorum convenientias et discordantias tabula adjuncta proponit.

Opus commodissimum reddunt indices geographicci et nominum, et notulae singulis fere epistulis submissae.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

CREUS VIDAL, L. — *Introducción a la Apologética*. La Hormiga de Oro, 1957, Barcelona.

En liber quo primordia Apologeticae traduntur. Auctor —ut ipse ait— Id sibi proposuit christifidelium institutionem fovere, quorum animi cultus plerumque, quod ad apologeticam eruditionem attinet, parum idoneus videtur. Non scientifica sed simplicitate agit de agitatissimis vulgo quaestib; bus —«viejas objecções contra la fe, propias de las tertulias de café de fin de siglo» (p. 22). «Las dudas y objecções contra la fe que van a ser objeto de nuestro estudio, estas dudas elementales (tales como la invisibilidad e inviolencia de la Religión, la más aparente que real escasez de fuentes históricas, la asimismo aparente oscuridad también histórica que envuelve algunas de las épocas más antiguas de la Iglesia, etc.)» (p. 28). —

Ratio omnibus probanda omnique apparatus et pompa scientifica soluta ipsa merito, ut popularem opinionem sibi vindicet, sese jure commendat. Rem tamen auctor —sua modestia inductus— verbis velat et simulat, dum ait quaestiones, quibus ipse studet, In thermopolis agitari easque a quolibet homine attingi facile posse, cum vere sint fructus dilutissimi studii et laboris in rebus et argumentis apologeticis, quorum explicatio et enodatio virum in re sapientem prudentemque praebent.

CENSORINUS, C. M. F.

CICERO. — Cicero on the Art of Growing Old. A Translation and Subjective Evaluation of the Essay Entitled Cato the Elder on Old Age by Herbert Newell COUCH. Brown University Pres Providence, Rhode Island and A. H. Stockwell, Ltd. Ilfracombe, England, July, 8, 1959.

Vel ipse libri titulus scriptoris propositum satis exprimit. Translatio nova est, et, quamvis, linguae et nostris moribus aptandi causa, non nihil aliquando amplificetur, ad verbum

tamen effecta dici debet, immo et litteraria; eo enim stilo sententiae confirmatae sunt ut interpretatio elegans facile judicari, ejusque superatio difficilis censeris possit.

Textus abest; teubnerianum tamen secatur.

Totus dialogus in octo partes dividitur, unaquaque opportune inscribitur, atque in eis cum nova dialogi persona vel disputatio inducitur, leviores tituli interponuntur. Post vero cujusque partis interpretationem, sub illo demum tituli, commentarii sequuntur. In eis magna copia rerum suppetit professoribus ut explicaciones amoenitate et doctrina plenas, easque, alumnis hujus temporis aptatas parare possint; adnotationes insuper copiosae insunt ut alumni minus docti intellegant quid Cicero sentiat, unde sententiam hauriat, ejusque sales ubi sint abditi. Verbum «subjective» quod est in titulo momentum habet, siquidem hi commentarii aliter apud nos confecti essent. Utinam hoc exemplum aemulationem in nobis excitet.

Breves tandem subsunt adnotationes quae locos et similia describunt.

Liber ergo, cum totus vernaculus sit, omnibus gratus erit, senibus certe pulchrum obsequum; litterarum vero doctis, multo magis.

EULOGIUS TEJERINA CANAL, C. M. F.

ARICI AZELIA. — Tacito. Storie, Dialogo degli oratori, Germania, Agricola. Unione Tipografica-Editrice Torinese, 1959, pag. 597.

Collectio haec a cl. viro Augusto Rostagni moderata, quae «intende adunare tutti i maggiori testi della letteratura latina» quaeque hactenus XIV grandia continet volumina, optimâ existimatione ornata et auctoritate lectoribus nostris sese praebet.

Constat hoc quinto corporis volumen prooemio quo beviter (pag. 9-26) et summatim (scriptorem Tacitum parvi esse crederes) exponuntur et ad Taciti opera ipsumque Tacitum spectantes attinguntur, quaestiones quae apud alios scriptores et maximi habentur et plurimas amplectuntur pagellas. En praecliarum quaestionum ab auctore expositarum indiculus:

De uniuscujusque operis compositione tempore, de Taciti fontibus seu de scriptoribus illis (Vergilio, Horatio, Lucretio, Sallustio ceterisque) quos forsitan Tacitus imitatus sit, de textus fide, de orationis Tacitianaee colore, id est de gravitate illa qua saepe usus est, de inconcinnitate seu «ruttura sistematica nelle diverse parti del periodo», de incondito et rudi Taciti sermone ex quo quae-dam nascitur ut «ribellione ad ogni osservanza scolastica dell' armonia formale». Quae omnia ceteraque ad Taciti opera spectantia summatim, ut diximus, traduntur. Conversio in italicum sermonem (pag. 29-532), quae et fluida, et nitida est et jucunda, plurimis ad hoc notulis italicis ad historiam et geographiam pertinentibus ditata et aucta, in operibus a cl. viris gallico altero Henrico Goelzer (*Histoires*), altero Caesare Giarratano Italico (*Le Storie*) compositis nititur.

Opus totum copiosissimo de re historica et geographicā indice (pag. 53-596) clauditur, ad illud consulendum et intellegendum utilissimo.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

PENAGOS, LUIS, S. J. — *Gramática Española*. Acomodada a 1.^º y 2.^º de Seminarios y Bachillerato, 1959.

Gramática Latina. 11.^ª edición. 1959.

Gramática Griega. Acomodada para 1.^º y 2.^º de griego en Seminarios y 5.^º y 6.^º de Bachillerato. 4.^ª edición, 1958 (*Bibliotheca Comillensis*), Editorial «Sal Terrae», Santander.

Cum tres totidem linguarum grammaticae ab uno eodemque auctore proveniant magno commodo et utilitati alumnis esse poterunt.

Grammatica hispanica ita exarata et ordinata est ut latina et graeca captu faciliores reddantur; in his ergo quaedam notiones omittuntur, quae in illa sunt querendae; in hispanica vero, ut auctor ipse asserit, sunt partes quae minus proprie tractantur, quo tamen aptius cum latina et graeca conveniat, quod, ut utile sane, ita indulgentiae scriptori tribuere expedit.

Maximam autem utilitatem habet quod auctor unus est, nam eandem semper nominationem grammaticam eademque fere nomi-

na, quod pueris praesertim commodum est, in tribus grammaticis invenias. Syntaxis praecipue, propria nominum designatione, simplicissima videtur et perspicua. Tamen in rebus grammaticis nuncupandis non nihil novitatis invenimus; nam modos illos psychologicos, realem dico, eventualem, potentialem, irrealem omittit, dicitque tantum orationes esse communes (reales et eventuales), potentiales, irreales (G. E. p. 114 et passim); orationes circumstantiales vocat alias cum temporum consecutione (G. E. 128 ss.) vel in constructione non ordinaria, —adverbium in hispanico sermone aptius praecedit adjektivo quam substantivo— (G. G. 143), alias in constructione ordinaria seu communi (G. G. 147; G. E. 131 et passim); et etiam in constructione indefinita (G. G. 152) i. e. subjunctivus et optativus iterativus; nihil de optativo obliquo, qui in constructione cum indic. opt. includitur. De quibus doctiores vide-rint... At in rebus nominandis non solum utilitati, sed etiam antiquitati et usui consulendum, ne indeterminatio nimia oriatur aut confusio; praeterquam quod vocabula, quae ad humaniores litteras pertinent, quadam religione tenenda sunt.

Quicquid vero de nominum appellatione eorumque usu, certum est has grammaticas maxima claritate et simplicitate et facilitate gaudere quod tum ex accurata expressione evenit, tum ex multis quadris per synthesim comprehensis, tum ex typorum compenditis quae in extremis pagellis contrahuntur. Praeterea Grammatica hispanica exercitationibus et locis scriptorum selectis ditatur; latina vero et graeca opusculis hujusmodi, separatim editis, locupletantur.

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

LIMET H. et RENARD R. avec la collaboration de A. Brosgol-Remy (et aliorum 8 scriptorum). *Guide Bibliographique pour les Professeurs de Langues anciennes dans l'Enseignement Moyen*. Fascicule 1, 1953-1958. A. Cl. Lg. Rue neuve, 59, Stavelot 1959.

Consociatio «Amis des Classiques de Liège» potius quam praesens litterarum cultusque veteris discrimen deplorare, maluerunt ita laborare ut quaedam saltem utilia eaque

perennia perficerent. Inter alia, hanc quoque utilissimam fecerunt rem: eorum librorum indicem seu catalogum confecerunt qui maximi momenti et alumnis et magistris esse possent Non igitur omnes auctores libros de graecis romanisve rebus praebent, sed tantum quos utiliores aestimatunt. Quare inter tot libros, 682 in hoc primo fasciculo numerantur, qui ita distribuuntur: I. «Recueils bibliographiques. II. Encyclopédies et Dictionnaires. III. Ouvrages généraux (Géographie, histoire, idées, religion et mythologie cet.). IV. Auteurs (latins, grecs, traductions). V. Grammaire. VI. Vocabulaire. VII. Méthodologie. VIII. Matériel audio-visuel».

Quod ad libros ibi allatos attinet, qui afferuntur optimi sunt, at non omnes optimi ibi numerantur cum res prudenti auctorum existimatione relinquatur. Fortasse et utile erit index eorum commentariorum qui vel latine scribuntur vel de rebus latinis graecisve agunt, ut *Palaestra nostra*, ut *Latinitas Vaticana*, ut *Acta diurna anglica*, ut *Vita Latina gallica*.

Speramus nos quam primum et altos humanus operis utilissimi habere posse fasciculos. Qui emere cuperit sciat libellum 30 francs belgis constare eumque acquirere posse pecuniam mittendo «au compte de Chèques Postaux 2132.94 de M. Etienne EVRARD, Trésorier de l'A. Cl. Lg. 57 avenue Reine Astrid. TILFF (Belgique)».

J. SIDERA, C. M. F.

W. VAN RIJCKEVORSEL et CH. LAMBOTTE, S. J.
— *Le Latin en Cinquième*. Desclée de Brouwer, 1959, pag. 80.

In hoc fasciculo —paginis 80 constat— ad eos qui in latinitatis via primos gradus faciunt, destinato, colliguntur, ut in ipsa libri inscriptione significatur, praecipua illa vocabula quae saepius in latinis litteris vertendis et in exercitationibus componendis, ab alumnis usurpantur (pp. 1-18), aliaque summatim exponuntur quae ad pronomina, praepositiones, adverbia, conjunctiones, praverbia et suffixa referuntur (pp. 19-30); index quoque proponitur copiosus (pp. 30-80) quo tria circiter milia vocabulorum continentur quae ad libros scholares vertendos et intelligi-

gendos optime suppetunt. Ex quibus vocabulis quae principaliora putantur quaeque sunt desumpta ex «Vocabulaire de base» (Paris OCDL, 1952) a cl. viro M. Mathy collecta, litteris notantur nigris ut melius noscantur, meliusque memoriae mandentur. Post aliqua vocabula, parenthesis inclusi inventuntur numeri qui ad Grammaticam Latinam a clarissimis J. Jansens et Van de Vorst (*Dessain, Liège*) exarata, referuntur, ubi alumni praecipua de verborum, declinatione, genere cetero inventent.

Fasciculus —ut Grammaticae Latinae complementum— ita est et conceptus et compositus ut alumnus nunc pedetemptum nunc firmius latinitatis viam ambulare possit. Fasciculum ergo auxilio et juvanti magno pueris futurum speramus.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

LUCREZIO. — *De rerum natura*, libro quinto. Commento e note di C. GIUSSANI e E. STAMPINI. Terza edizione aggiornata da Vittorio D'AGOSTINO. Loescher editore. Torino 1950, pag. 168.

Nemo est qui ignoret quanta sint opera doctrina referta, quantae sint etiam commentationes nostra aetate editae, ad expoundenda et interpretanda quae Lucretius poëta «pollenti pectore» et voce in V operis sui libro, quod «*De rerum natura*» inscribitur, cecinerit.

Opus tamen maximi momenti, idque maximi etiam ponderis, eruditione uberi repletum de 5.º Lucretii libro quod a clarissimis viris C. Giussani et E. Stampini conscriptum est, a Victorio vero D'Agostino —in rebus Lucretianis maxime perito— nuper ad nostram aetatem optime est accommodatum.

Nobilissimus igitur vir Victorius, cum C. Giussani operi aliqua praecipua deesse animadvertisset, alia permutavit, alia vero addenda curavit, alia tandem omnino renovavit. Complevit quoque atque scienter locupletavit —alias in extremo libro addens novas notulas— commentaria illa quae a C. Giussani ad paginarum calcem afferuntur Labor vero primus et, ut videtur, gravissimus a claro viro susceptus, fuit quidquid ad

criticam textualem refertur, nam «hanno preso una via diversa da quella tracciata dal Giussani, in quanto sie tenuto maggior conto della tradizione manoscrita...».

Ad quem laborem aggrediendum atque conficiendum consuluit plurimique habuit opera critica praeclarorum virorum Josephi Martin, Germani, Alfredi Ernout et Leonis Robin Gallorum, et C. Bailey Britanni una cum optimis codicibus Laurentianis E. F. L.

Liber ergo in re optimus, summisque virtutibus cumulatus, maxime studiosis commendandus est.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

STOLZ, GEORGE. — *Approach to oral latin.*
Anhurst College. South Woodstock, Conn.

Georgius Stolz hoc libello, cyclostilo vulgato, viam magistris aperit ut et facilis et delectabilis modo linguam latinam alumnos loquendo docere possint. Primum propositum aperit, deinde procedendi modum breviter evolvit quod ad sermones conserendos et quod ad vocabularium pertinet, denique exempla quaedam praebet quo modo pueri adulescentioresque erudiri hac in re possint. Praebet enim promptuaria parvolorum, imaginem vitae cotidiana, fabulas quaestiunculis et vocabulis explicatis ornatas, tirocinium Horatianum (quo primum carmen Horatii poetae latine simpliciter explicatur). Opusculum finitur eorum librorum recensione qui hanc loquendi viam produnt. Libri anglici, ut par est, plurimi recensentur. Palaestram nostram Latinam in Hispania unam novit auctor et *Nova et Vetera Mirra nostri*. Maximo nobis laudi et decori fuerunt clari viri verba. At in posterum et alios libros hispanicos eum brevi censurum posse speramus.

D. GRAY, MASON and JENKINS, THORNTON. — *Latin For Today.* Ginn and Company Ltd. 18 Bedford Row, London, W. C. I.

Jam inde ab anno 1934 M. D. GRAY et Th. JENKINS novam viam esse ingrediendam latinae linguae alumnis tradendae professi sunt. Immo et scriptis propugnaverunt et fieri posse monstrarunt hoc libro, quatuor voluminibus absoluto; «*Latin for today*», nunc septies

decies edito. Editionibus iteratis potius quam commendationibus libri utilitas et opportunitas demonstratur. Quam utilitatem conspicies ex ipso proponendarum rerum modo. Docendi ratio procedit rectissima via: a cognitis in incognita. Quantum fieri potest res antiquae cum recentioribus conjunguntur. Alumni discendi cupiditas incitatur necessitatis linguae latinae et utilitatis expositione: Lingua latina in hodierno linguae anglicae usu vivit vel manifesto vel occulte. Quare alumnus ipse per se multa inventire potest latina in anglico sermone. Singula capita rem antiquan evolvunt, in quam regulae et verba et omnia volvunt ut circum axim. Quod fit in quatuor voluminibus. Res amoene — etiam copiosis picturis — ante oculos enucleantur, in aliquo volumine etiam carminibus canendis...

Opus omnino commendandum.

Ipsi Editores calendarium anglicum latum annum evulgant, in quo dies hodierno modo et veteri latino notantur, simulque praecipua rerum antiquarum memoria anniversaria revocatur. Quod calendarium simul delectat et instruit.

JACOBUS SIDERIA, C. M. F.

PAOLI, HUGO H. — *Fabellae tres. Indorum Sapientia.* Bibliotheca scriptorum recentiorum. In Aedibus Felicis Le Monnier, 1954.

Nescio quando Bibliotheca scriptorum recentiorum, moderantibus Alfredo Bartoli, Hugo H. Paoli instituta sit, sed neque quot volumina in ea edita sint. Id unum scio, duo volumina, quae ad manus jam pridem venirent, lepidissima esse atque pulcherrima.

Fabellae tres sunt: 1. Asinus, bos, mercator praedives, quae inter alia hoc docet: «homines, nisi deo quodam auxiliante, plus quam asinos sapere fas non est». 2. de equo Prometheus culpante, 3. de regis filia pulcherissa, fabella indica quae monet «ne nimis in re ulla, si quid cupimus, desudemus, cum fortuna, ut multis ex rebus colligi potest, plerumque soleat negligenteribus favere». Scitis delineatis figuris fabellae illustrantur, quae animum movent vel risum vel admirationem.

Indorum Sapientia: 250 constat Indorum sententias ubi clare perspicitur quantum illarum gentium mentis acumen et rei usus que cognitio. *Lege omnes, omnes multi aestimandae, ut haec:* «Non bene, libra, cuius arbitrio tam multa committuntur, officio fungeris tuo: graviora deprimis, leviora extollis». Cavendum tamen non omnes sententias sensu christiano imbut, ut ex. gr. 128, quam fortasse delevisse melius erat.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

FRAENKEL, EDUARD. — *Horace*. Clarendon Press: Oxford University Press. 1957. Price (in U. K. Only) 55 s. net.

Quamquam ex libri titulo veterum notiones quis exspectare potest, tamen ea est ratione et perfectione opus elaboratum, ut novissimum prorsus exstet.

Libri major moles videtur quam pro paginarum numero, quod fit ex optima chartae nota. Quae vero dicam de ejus figura et specie, supervacanea judicabis; etenim omnibus notum est quam venuste, quantoque lectorum plausu et delectatione Prela Clarendoniana libros edant. Splendida, aptissima, distincta sunt omnia; quo fit ut liber mera voluptate attractari legique valeat.

Haec profeto tam accurata impressio ipsum opus complet et commendat.

Propositum auctoris non est aliud, ac qui exstant, ejusdem generis librum cum textu et translatione confidere; sed lectorem intendit ita instruere ut ipsa Horatii poëmata intellegere, et librorum, quorum ea partes sunt, dispositionem et naturam perspicere possit. Neque vero constitutum est monographies reficere aut repetere quas alii de Horatio pararunt; existimat enim auctor intelligentiam poëseos esse optimam ad ipsum poëtam viam. Haec autem intelligentia in Horatio difficultior evadit tum ex poëtae ingenio et operis ratione, quorum momenta et adjuncta, causae et exemplaria, sunt omnibus partibus investiganda — idque auctor aggreditur summa eruditione —; tum maxime ex congerie scholasticae institutionis procedente tempore conservata, qua exonerari et mentem expediti ut poëta possit sincere audiri, difficillimum est.

Ac eruditissimus vir E. Fraenkel hanc de Horatio notitiam altiore nobis praebere contutus est, multis usus adjumentis tum antiquis cum recentibus, documenta latina et graeca et cuiusvis linguae hodiernae referens. Ut tamen investigatio facilior et accurasieret esset non omnia Horatii opera pertractare opportunum visum est, sed selectionem tantum; haec tamen, cum admodum sufficiens sit, totum Horatium conspiciendum et perscrutandum praebet; ideoque liber eleganter solo verbo «*Horace*» inscribitur.

Jam vero, praeter alia in primis XIV paginis, ordo capitum hic est, latine interpretatus: I. Vita Horatii (1-23); II. (Epopi (24-75); III. Liber I Saturarum (-173); IV. Liber II Saturarum (-153); V. Carminum libri I-III (-307); VI. Epistularum lib. I (308-363); VII. Carmen saeculare (-382); VIII. Epistula ad Augustum (389); IX. Carminum lib. IV (400-453); Indices: Generalis; Poëmata et loci explanati; Verba: latina, graeca (455-464).

Ex indicum conspectu apparet quanta scientia et rerum varietas libro continetur. Liber certo non nisi eruditioribus, tironibus exclusis, confectus est; hisque, qui optimis litteris delectantur, jucundissimum erit; et vero qui de Horatio scribere statuerit, erit in posterum, si consulte procedere vult, omnino necessarius.

EULOGIUS TEJERINA CANAL, C. M. F.

THUMB ALBERT — SCHERER A. — *Handbuch der griechischen Dialekte* Heidelberg 1959, Carl Winter — Universitätsverlag. p. XV + 436.

Operis ingentis, quo dialecti graecae tractantur, volumen alterum ante quinquaginta fere annos Albertus Thumb edidit; quam editionem plurimis locis subtiliter suppletam atque auctam Antonius Scherer iteravit. Hac arte grammatica praeter idiomata Graeciae occidentalis jam priore tomo tractata de dialectis agitur Graeciae centralis et orientalis, cui etiam Asia (minor) et insulae quae-dam maris medii adnumerantur, ut Lesbus Cyprus Creta. Inquiritur igitur in dialectos Aeolidem, Arcadiam et Cypriam, Pamphyliam, Ionidem seu Iadem et Attidem, denique in Mycenedem. Adscribuntur autem

Aeolidi dialecto etiam sermones Boeotius et Thessalius et Lesbius, qui multis ex partibus inter se congruunt, quamvis nonnullis locis idiomata dialecti Doridis suscepta sint. Atque primum quidem in hac ut in ceteris dialectis vetustissima litterarum monumenta perquiruntur, tituli scilicet conservati. Quarum inscriptionum loci allati, qui vix quicquam prosunt, si non appetat, unde sint deprompti, diligenter assignantur ab operibus recentioribus et praestantioribus hujus generis repetiti. Deinde quaeritur de ipsis auctoribus, quorum scripta potiora iudicio elegantiaque perpenduntur. Denique quid grammatici posteriores, praecipue Alexandrini, judicarint, quantum id rei conductit cognoscendae, antimadvertisse. Quo fit, ut singulae dialecti ab ortu usque ad occasum, quoad litterarum monumentis interdum lacunosis et mancis fieri potest, ante oculos legentium ponantur. Accedit, ut singulae proprietates pertincentur et elementa, quibus variae dialecti inter se differunt aut congruunt. Quae rationes summa qua potest diligentia delineantur. Nam vocabulorum structurae variae diversaeque pervestigantur, terminaciones nominum substantivorum, formae verborum in tempora modosque flexorum. Accedunt adjectiva in adverbia vel in comparativum flexa, nomina numeralia variata, participia, conjunctiones, copulae copulationesque litterarum quarundam. Ias autem dialectus, id est dialectus Ionis Asiae minoris, inde ab aetate Homeri carminibus epicis magis magisque aptata et adhibita usque ad medium, quod dicitur, aevum Byzantinorum, id est undecinium duodecimumve saeculum p. Chr. n. etiam atque etiam colitur. Verum Atticorum artificiosae orationi solutae per Platonem et Demosthenem cumulus allatus est. Eadem dialectus postea lingua communis evasit, unde Coene dicitur. Hac Novum Testamentum conscriptum est. Caesarum enim aetate dialecti Graecorum cunctae Coenae cesserunt.

Addita est brevis descriptio dialecti Mycenidis, quae tabulis fictilibus jam quinto decimo aut duodecimo saeculo a Chr. n. confectis conservata est. Tallum tabularum tria milia Cnossi in regia Minoris cretensis inventa sunt, mille Pyli in Peloponneso, aliae non

paucae Mycenis, Thebis, Orchomeni, Eleusine, Tirynthe sunt eruditeratae. Exstant autem tabulae scripturae linearis A et B litteris designatae distinctaeque, cujus singulis signis syllabae signantur quaedam. Quas figurae scripturae linearis B anno 1951 Michael Ventris, architectus natione anglus, primus interpretatus recte recognovit. Agitur ibi de dialecto graeca sermonibus arcadio et cypro et aeolico cognata, sed praevia, quam viri rei peritissimi dixerunt Mycenidem seu Minoram. Verba vero scripturae linearis A graeca non esse videntur.

Haec omnia subtilissime via et ratione collata Antonius Scherer in libro, de quo agimus, digessit suis ipsis cognitionibus aucta. Ibi ergo cuncta commode conciseque in unum collecta invenias, in quibus rebus perscrutandis viri doctissimi nostrae aetatis maximopere elaboraverunt. Praeterea ad singulas res facile repertendas quattuor indices subjuncti sunt, quorum primo singula argumenta nominaque propria continentur, secundo varietates grammaticae bene dispositae, tertio vocabula graeca, quarto verba mycenica.

Mirum autem est, quot commentationes academicae ibi memoratae saeculo transacto de his argumentis conscriptae sint. Ceterum rebus perscite tractatis diligentia sollertiaque typographi omni ex parte congruunt. Ob eas causas hoc opus singulare doctrina refertum, subtilitate compositum, ordine conspicuum cunctis commendatur comparandum.

CÆLESTIS EICHENSEER, O. S. B.

MAZZARINO, SANTO. — *La fine del Mondo Antico.* (Il punto della conoscenza contemporanea). Aldo Garzanti Editore, Milano 1959.

Hujusmodi operis hoc propositum: hinc notiones et historiam «occasus Romae», eo nempe modo quo evoluta sunt, a saeculo II a Ch. ad nostra usque tempora, exprimere; inde hodiernam adhibere interpretationem ruinæ aetatis antiquæ, proposito iudicio, et solutionum et hypotheseum disceptatione.

Argumentum maxime cum horum temporum mente et cogitatione convenit. Brevioris quidem molis opus, magnitudinem nuclei. Duas

In partes dispergitur. Ita vero a clarissimo auctore in prima parte proceditur: 1. Prologus de duabus notionibus seu ideis antiquissimis: de Imperio universalit et occasu civitatis universalis (pp. 9-26). 2. Finis temporis vel Imperii discrimen? (pp. 28-39). 3. «Inimici externi» et «Inimici interni» (pp. 40-54). 4. Judicium Dei tanquam categoria historica (pp. 55-76). 5. Finis Romae secundum humanitatis et litterarum renascentium cultores (pp. 77-94). 6. Constantinus, Julianus, Justinianus... (pp. 95-111).

In altera vero parte ita se habet rerum expositio: 7. Quaestiones religiosae (pp. 115-127). 8. Matrimonium in societate posteriore romana (pp. 128-146). 9. Mancipia absque familia (pp. 147-161). 10. Quaestiones oeconomicae: rus et civitas (pp. 162-172). 11. Nationes, «democratiae», libertas (pp. 173-180). 12. Quaestiones institutionales (pp. 181-188). 13. Occasus et continuitas (pp. 189-197). 14. Judicium de notione seu idea occassus (pp. 198-209). Bibliographia (pp. 210-211).

GEMELLI-ZUNINI. — *Introducción a la Psicología.*

Luis Miracle, Editor, Barcelona, Aribau, 179.

Magnum sane commodum illis qui animi disciplinis apud nos operam dant, allatum est, editione hujusmodi operis, inter alia longe principis, a clarissimo viro A. Gemelli, Rectore Officinae Psychologiae Experimentalis in Universitate Mediolanensi, exarati. Quod tanquam summa appetet diversarum scholarum de re psychologica, maxime inter se adhuc discrepantium.

Ex ipsa, si quid mel est judicium, capitum Inscriptione jam animo perspicies voluminis momentum, nedum ex ipsis auctoris —nunc recens vita sanctissime functi— ubicumque terrarum fama atque aestimatione noti.

Post consentaneam de re praefationem (pp. 5-12) sic materiel ordo procedit: I. Psychologi et Psychologia (pp. 13-36). II. Quae partes in psychologia (pp. 37-65). III. Psychologia et Biologia (pp. 66-83). IV. Argumenta experientiae psychologicae eorumque qualitates (pp. 84-140). V. Actio seu activitas conscientiae et activitas inconsciens (pp.

141-190). VI. Actio seu activitas perceptiva (pp. 191-233). VII. Processus mnemonici (pp. 234-254). VIII. Affectuum status (pp. 255-294).

IX. Intellegentia et voluntas (pp. 295-336). De Psychologia in linguae studio (pp. 337-360). XI. Processus instinctivus (pp. 361-386). XII. Vita intellegens animalium (pp. 387-414). XIII. Ratio vitae humanae (pp. 415-444). XIV. Ratio vitae socialis (pp. 445-473). XV. Persona et quod ei est proprium XVI. Quaestiones characterologicae (pp. 494-533).

Hujusmodi est libri tenor quasi uno in conspectu. Unicuique autem capiti selecta, ampla, recens bibliographia annexetur, complementi gratia. Nominum et materialium index diligentia et arte dispositus. Conversio hispanica e lingua Italica, a claro viro Fernando Gutiérrez maxima cura exarata est. Typographica denique dispositio, quod solet, maxime domum Editricem A. Miracle, décorat.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

BLANCO GARCIA. V. — *La lengua latina en las obras de San Agustín.* Lección inaugural 1959-1960, Universidad de Zaragoza, 77 pgs. Zaragoza 1959.

Ratio seu Indoles est harum lectionum, quae ineunte curriculo scholari haberi solent, ut pauca de multis, non multa de paucis proferantur; brevi enim spatio et pagellarum et temporis penitus et uberior rem tractare magistri prohibentur.

Lucubratio, de qua modo verba facimus harum lectionum naturam subit. Tamen Dnus. V. Blanco García de latinitate in Caesaraugustana Universitate magister bene meritus, miram quasi synthesim augustinianam dicendi generis exaravit. En opusculi index I. Preliminares. II. Modelos literarios. III. La lengua latina en San Agustín: A) Léxico, Morfología; B) Sintaxis; C) El periodo. IV. Crítica textual Augustiniana. Bibliografía. Conclusiones.

Arduus sane labor tot res tam paucis pagellis delibare; Ideo rem tantum quasi adumbrare, non penitus tractare voluit clarus magister caesaraugustanus

CENSORINUS, C M F



SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetas; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania 2 marcs; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VI — (FASC. IV) — N. 24

M. DECEMBRI

A. MCMLX

DE FLORIBUS

Quodam Solis die histrionum grex quinquagesimum ducis sui diem natalem celebraturi erant. Pridie itaque convenientes festum tali tamque peculiari modo agendum esse statuerunt ut de eo homines etiam centum annis post locuturi essent. Placuit etiam ducem caput floribus circumdare.

At cum jam autumnus esset, per pauci tantum flores erant iisque carissimi. Cujus rei actores rationem habuerunt, jamque in eo res erat ut, cum nescirent quomodo flores emerent, incepto absistere vellent. Tum vero Marcus, unus ex iis, se id curaturum esse pollicitus est. Hoc statim inter omnes convenit deque ea re nullum deinde verbum factum est.

Postea, cum comoediam, quam in festis darent, discendi causa iterum repetiissent, omnes laeti domum discedebant praeter Marcum et Aulum, Marci amicum. Ii ad aedes nobilis cuiusdam baronis tendebant. Baro flores valde amabat atque in hortis colebat. At forte fortuito hoc tempore peregrinatum abiebat.

 Quod adeo in litteris latinis colendis profecisti, Leonia, admodum gaudemus, tibique et magistris qui animum tuum tanto studio et diligentia conformarunt et in rectam latinitatis viam induxerunt, ex animo gratulamur. (Moderator)

Allatis scalis et carro duo amici ad opus aggressi sunt. At subito vigil publicus eos interpellavit: «Heus vos! Quid noctu in alieno horto agitis?» inquit, «an florum furandorum causa?».

«Minime, minime», Marcus sine ulla perturbatione respondit. «E contrario, id agimus ut hisce floribus domum nobilis baronis exornemus».

«Nihilo magis per legem domum alienam noctu ornare licet!»

«Si ita est, facti me paenitet», Marcus inquit. «Age ergo, Aule, carro omnia rursus imponemus et proficiscemur».

Quibus dictis factisque discesserunt. Vigil publicus contentus erat quod legi obtemperatum est itemque duo amici gaudebant quod omnia optime processerant.

Postridie ejus diei festum alacriter actum est at nemo praeter duos amicos et vigilem publicum, umquam scivit unde flores suppeditati essent.

Latine scripsit LEONIA KEMPS,
linguae latinae alumna
Ongelberg 16, Balen-Neet (in Belgio).

DUX VULPIUM

Animalium indolem cum natura hominum eorumque studiis saepe convenire novimus...

Ut fraterculi —dum parentes absunt— ad fores domus ludere solent, ita «Lili» ejusque soror —duae vulpeculae nitidis pulchrisque capillis cinctae— ante cubile ludebant: humi volutabantur, laeta voce stridebant.

—«Te gallinam esse dixi, me autem esse patrem»: quae dum Lili profert barbulam humum usque demittit saltuque feroci in sororem incidit; in aëre confligunt et humi labuntur.

—«Res magna, soror, mihi erat in primoribus labris..., sed tacebam. Dux noster mortuus est. At... frontem ne contrahas neve vultum mutes; plane non mentior. Superiore nocte matri ego patrem audivi dicentem: ...«et jactu perfido miser in terram decidit... Senatus vulpium, ut mos est a majoribus proditus, decrevit ut comitia fierent jussitque pronuntiari illam vulpem fore nostrum ducem quae optimas secum adduceret praedas. Me igitur paucos dies ne exspectetis»...

Et vulpes, ut pueruli, patrem unum omnium fortissimum judicaverunt optimumque inter venatores principem habuerunt... —«Principes, principes, erimus!»... et Lili summa gestiensi exultatione haecque canens per densam silvam ingreditur.

Et re vera, vulpecula sororem non deceperat: Rex quidem mortuus erat, atque per montes, per angusta et praerupta praeconium Senatus vulpium personuit illam vulpem in concilio totius generis ducem electum iri, quae majora patrasset facinora et ita regiae potestatis dignior haberetur.

Vulpes, igitur, quae hanc gloriam avidissime appellant, villas, domos vallisque pagos circum spectant dum suam virtutem demonstrandi occasionem nanciscantur.

Et singulis diebus novi pervulgantur rumores: hanc vel illam vulpem sua audacia ductam gloriosa morte periisse... Dum vero inter animalia exspectatio vel maxime animos commovet, gregatim caelibes, conjuges cum liberis ad locum constitutum convenient.

—«Quem putas ducem nostrum eligendum?»

—«Umf! difficile quidem scitu; nam his temporibus insignia ferocitatis exempla in genere nostro exstant suntque socii clarissimis ornati virtutibus.

—«Tamen, ut ego tecum cogito, inter omnes sane praestat...: est enim intrepida vulpes, fulgere velocior... Hodie in hoc vertice montis appareat, cras totius vallis agricolas conturbat; avaria vastat vel ferro bene praemunita; cum canibus eliam strenue congressa esse dicitur»...

Itaque suam quaeque sententiam prodit.

CONVENTUS VULPIUM. — Comitiis tandem congregatis omnium natu maximus orationem habet luculentam quam summa reverentia et plausu omnes excipiunt:

—«Cum nos omnes, nobilissimi fratres, ad creandum generis nostri principem congressi simus, vos certiores facio una mente patribus visum esse «hanc» vulpem et genere et factis claram, dignissimam esse quae regalem potestatem et officia suscipiat. Estne aliquis vestrum qui aliter sentiat aliamque vulpem



proponat hujus regalis dignitatis bene meritam?...»

Quod Lili ejusque soror, quae in conventu sunt, aegre ferunt..., sed e vicina silva pater velociter egreditur...

«Ego!... et vulpes majestatem in vultu vigoremque in oculis p[ro]ae se ferens accedit: procero corpore atroque pilo praeter ceteras vulpes praestans, pedibus unguibusque potens inter vulpium ordines arrogans progreditur... Undique sanguine manat, plagae sulcique cruent[us] in pelle emicant; per viam, quam vulpium turba admiratione et stupore plena illi faciebant, elato capite firmoque pede procedit et ante senatus maiores consistit.

— «Ibam ego prima luce per montis declivia prope vallem obscure quidem et caute ne canibus proderer, laeto tamen animo, quia magna virtute eximium patraveram facinus, cui par nullum maiores nostri fecerunt, Gallinarium enim invaseram ferreis totum clatris contextum. Pro sancte Juppiter! nullum unquam ita munitum videram! Sed laborem aggressus sum multumque sudavi...; tandem per-

tecti rimam intro irrupi atque stragem feci maximam.

Ibam igitur, his peractis, obscura luce, cum latrare audivi gregem canum qui mihi ut strepitus aquae alte cadentis videbatur. Statim quid ageretur intellexi et vulpem extemplo vidi fessam, quam feroce insequebantur canes, jamque tota salutis spes, pro misera vulpecula evanescebat, nam parum in via progedi viribus destituta poterat... Omnem tunc ego exui animi haesitationem et canes ferociter sum aggressus. Ungues et dentium robora diu in pugna me sustinuerunt. Sed ubi victoriam incertam vidi, prudenter evasi..., et velocior canibus per montes ascendi...»



— Euge, euge! macte virtute vulpes!... Et magnus in conventu fremitus strepitusque fit, omnesque hunc virtute et audacia socium sibi ducem totiusque generis principem depositunt...

J. A. SALINAS URRA, C. M. F.

Primi Cursus in Lyceo alumnus
Sancti Dominici Calceatensis.

DE GENTIS FABIAE



Romani incursionibus Vejentium vexabantur. Tum Fabia gens senatum adiit; Fabius consul pro gente loquitur: «Assiduo magis quam magno praesidio, patres conscripti, bellum vejens eget. Hoc bellum privato sumptu gerere nobis in animo est. Vos alia bella curate, Fabios hostes Vejentibus date». Gratiae ingentes ei a patribus actae sunt.

Fabii postero die arma capiunt. Consul paludatus signa ferri jubet. Nunquam exercitus neque minor numero neque clarior fama et admiratione hominum per urbem incessit. Sex et trecenti milites, omnes patricii, omnes unius gentis, ibant unius familiae viribus vejenti populo pestem minitantes.

«Eant fortes et felices! Incoepta dii fortunent! Consulatus inde ac triumphos, omnia praemia, omnes honores redditu sperent!» Ita turba quae favore et admiratione stupens Fabios sequebatur, clamitabat simul atque cum Capitolium arcemque et alia templa praeteriret, precabatur ut dii illud agmen faustum atque felix mitterent et sospites brevi in patriam restituerent.

Cum ab urbe profecti essent, ad Cremeram flumen pervenient. Is locus ad communendum praesidium opportunus visus est. Non modo ad hoc praesidium tutandum Fabii satis erant, sed tota regione quae tuscus ager romano adjacet, hostes populationibus vexarunt. Quod Vejentibus acerbum indignumque visum est; inde consilium inierunt insidiis ferocem hostem captandi.

PRO PATRIA CLADE

Fabii, quorum audacia multo successu creverat, cum passim agros populararentur, pecora velut casu inveniebant, quae quidem a Vejentibus eis obviam ad illecebras missa erant; agricultae agros relinquebant militesque saepius simulato quam vero pavore fugiebant. Jamque Fabii adeo contempserant hostem ut sua invicta arma crederent non sustineri posse.

Usque eo haec spes provexit Fabios ut quondam, cum pecora conspexit procul a Cremera, magno campi intervallo, quamquam hostes armati rari apparebant, decurrenter. Cum insidias circum ipsum iter locatas improvidi, effuso cursu, superassent, ut raperent pecora, subito Vejentes ex insidiis consurgunt Fabiosque undique circumdant.

Romani, coeuntibus Etruscis, jam continent agmine armatorum saepiti, in unum locum se omnes inclinarunt et corporibus et armis cuneo viam ruperunt. Duxit via in editum leniter collem. Inde primo restituerunt; jam victuri erant Fabii, ni non nulli Vejentes jugo circummissi in verticem collis evasissent; quo superior rursus hostis factus est.


Fabii omnes caesi sunt, praesidiumque expugnatum; trecenti sex armati perierunt. Unus, prope pufer aetate, Romae relictus, stirpem gentis Fabiae propagavit, dubiusque rebus populi romani saepe domi bellique maximum fuit auxilium. Q. Fabius Cunctator qui Hannibal's impetus cunctando fregit.



AENIGMA EX EPICO CARMINE OVIDII COMPOSITUM

Fortasse, care lector, non videris
tibi versus latinos posse componere.

Dimidium facti qui coepit, habet!,
ut ait Horatius noster. Si vis hoc
aenigma solvere, lege id carmen Ovi-
dianum cui index est «Mutatae For-
mae». Si vestigis a me datis bene
usus eris, facile, ut opinor, verba
quae desunt reperies.



IN TRANSVERSUM:

9. Isi, Paraetonium... —que arva Pha-
ronque — Quae colis. (*Aegyptia*)
10. Illic et Tyrium quae purpura sensit...
— Textur. (*vas*)
11. Mox etiam fruges tellus... ferebat.
(*expers aratri*)
12. Et moveo... Priamoque Antenora
junctum. (*regem infelicem*)
13. Avertens faciem 'procul, a! procul...' 'dixit — Di pellant. (*signa divina*)
14. Quam commune mihi genus et... ori-
go, — Deinde torus junxit. (*a patruo ortia*)
16. Nunc huc, nunc illuc, .. nubis aquo-
sae — Fertur. (*more*)
18. Et deus humana lustro sub... terras.
(*forma*)
20. Populifer... et Inquietus Enipeus.
(*flumen*)

22. Cujus et Haemonio marcentia guttura,
cultro... et exiguo maculavit sanguine ferrum.
(*transverberavit*)

23. Impiger umbrosa... constitit arce
(*montis bicipitis*)

24. ...ense caput, quod protinus incidit
arae. (*decollat*)

25. Raptioresque... armatosque unguibus
ursos — Vitat. (*praeclaros custodes ovium!*)

26. Ipsa tuis manibus... nata sub umbra
— Mollia fraga leges. (*nemorosa*)

IN PERPENDICULUM:

1. At pater... ingentia moenia caeli — Circuit. (*Juppiter dicitur*)
2. Est locus...; Pheneon dixerit priores.
(*in regione Peloponnesiaca*)
3. Paulumque... (*finis versus; post breve tempus*)
4. ... que res, subito media tenus
exstitit alvo. (*miranda*)
5. Donec... medio de gurgite vates. (*hic vates est Orpheus*)
6. Lux aeterna mihi... — que fine da-
batur. (*orba*)
7. Sanctius his... mentisque capacius
altae. (*homo dicitur*)
8. Dixit et aptato pectus mucrone sub...
— Incubuit ferro. (*infimum*)
14. ...petit Titanidos atria Circes. (*por- tentifica*)
15. .. aderam fatti crudelis opemque — Non poteram tibi ferre. (*testis*)
17. Orabam veniam et... fatebar. (*deli- quisce*)
19. Aut inhumata premunt terras aut it
dantur in altos — ...rogos. (*sine dotibus*)
21. Non genetrix... tibi est sed inhospita
Syrtis. (*Agenore nata*)
22. Nomen epops volucri, ...armata vi-
detur (*ora vel caput*)
23. Quaeque... posita est glaciali proxima
Serpens (*vertici citudam*)
24. Neve... cessent, odium cum conjugie
falsum — Phasias adstimulat. (*fraudes*)

HERBERTUS H. HUXLEY
ex Universitate Mancuniensi

MISCENTIS UTILE DULCI...

O CALLIDITATEM!

Adulescens litterarum studiosus tarde mane e lecto surgere solebat. Matri tarditatem vituperans respondit sese cotidie duas mulieres ad lectum venientes videre et coram se litigantes audire: Sollicitudinem scilicet et Pigritiam. Illam adhortari ut statim tempore surgat et res agat; hanc ut diutius in lecto propter frigus quiescat. Instare et addere non semper studiis esse vacandum. Itaque, mater, cum cotidie mane haec duae inter se contendant et disputent, ego velut judex utramque partem libenter audio et in lecto molliter quiesco. Ita fit, ut sero surgam. Nam finis litis exspecto. O calliditatem!

N. Mangeot, S. J.

QUIDAM HOMO GARRULUS

Quidam homo garrulus se optimum venatorem praedicabat, sed raro venatum domum offerebat quod e manibus evaderet.

Quodam die amicum ad venationem invitavit, sed ne famam (*si qua erat*) amitteret, praecupavit cuniculum emere et in venationis loco ad vitam ligare.

Ubi ad vineam pervenerunt, venator ad amicum: «Tace, inquit, lepus adest», emisitque glandem qua ligamina fracta sunt, et... cuniculus fugit.

J. E. MUÑOZ,

Castro Urdiales

V.i C. alumnus

INEUNTE HIEME

Quid tu faceres si nix caderet?

—Induerem rusticam lacernam.

—Bene. Et si iterum nix caderet?

—Aliam super illam induerem rusticam lacernam.

—Optime. Quid si copiosior caderet nix?

—Tunc super illas aliam rusticam lacernam induerem.

—Optime se habet. Sed unde tu illas lacernas educeres?

—Et tu unde tot nives e caelo cadere facies?

J. Beltrán. V.i alumnus

Barbastri.

ALUMNORUM EPISTULAE

Josephus Latorre suavissimo Carolo fratri, s. p. d.

Puerulus Deus, tibi maxima et copiosissima dona concedere dignetur his diebus.

Mihi epistulae latinae, quas tu ad «Palaestram» misisti, multum placuerunt; scribere ad puerum Germanum opto. Germanorum Magister, Patri Mirio amicus, aliquos, qui cum discipulis suis epistulare commercium inire vellint, postulavit. Ego causa linguae latinae ediscendae, tibi meum protuli consilium. Quid tibi videtur?

—Vale.

Alabonae.

Carolus Latorre suo Josepho fratri, s. p. d.

Lingua latina optime utes, frater, qua de causa et magistros tuos laudo. Viam prosequere incéptam. Sive de necessitate sive de utilitate linguae nostrae dubitant nonnulli, tu autem qui eam assecutus es, pulchram, jucundam, utilem novisti. Superius concende neque tibi sufficiat, verborum tantum congerie potiri, sermonis medullam si attigeris, paucis post mensibus gaudebis et delectaberis, nam scriptorum mentem intelleges ac penitus capies.

Nihil amplius habeo quod dicam. Vale.

NUNC GALLI CONCINUNT DIEM

Moderato

Nunc gal-li concinunt di-am. Matcuriae to - - - - sur ! Nam
 lucem mu-tu-a novam prædicant ve - - - - - os. Pri-mo
 ma-ne surge e lesto i ne di - - u-ti - us mo - re-rius ! jam eae-li ro-
 se a por-tam pui-sat eu - ro - - - - rá...

Parentes, stragulo spreto, consalutatel (*bis*)
 In scholam, pueri, gnavo gressu venitel (*bis*)
 Codicillum, stilum, libros, atramentumque expedite!
 Subridens jamdiu bonus spectat magister... (*bis*)

INTER SCHOLASTICOS


—Quod est in proverbio: «silentium aurum est», maximum mihi videtur mendacium.

—Qua de causa?

—Illud enim in extremo linguae graecae periculo sequi volui, et... in viam me proje- runt.

X. I. Zuasti, IV.i C. alumnus

Artaxone.



Quae in imagine vides, puer,
 aptis interpretare verbis...

HEBETIORES AURES

Hebetiores quidem, fili mi, aures habes, jam enim septies te arcessivi, nec venisti.

—Ignosce, pater, sexies tantum me appellasti, te plane audivi.

H. López, III.i C. alumnus

VIR ADMODUM CRASSUS

Vir admodum crassus dextra laevaque cor-pus inflectit, duce artis gymnasticae praecepte.

Praeceptor: «Tangisne jam extremos pedum digitos?»

Et gymnasticus ille: «Nondum tetigi, sed... jam video.

Cervariae.

F. Cirac, III.i alumnus

PALAEstra LATINA

Index rerum atque scriptorum

a. 1959 et 1960

Disputationes praecipuae

1959. — *Pizzardo*, De lingua latina rite colenda, 1.

J. Mir, Adnotaciones, 5.

Ae. Orth, Notae criticae in scriptores latinos, 20.

Joannes XXIII, Primus conventus ex omnibus nationibus studiis Ciceronianis provehendis, 65.

N. Mangeot, De Marco Aurelio pietatis magistro, 67.

N. Mangeot, De Olympiis, 31.

Ae. Orth, Notae criticae in scriptores latinos, 75.

A. Guercio, Mater Caeciliae, 94.

J. Ijsewijn, Carmina Eberiana, 129.

J. C. Schoenberger, Tertium atque ultimum de linguae latinae usu, 135.

N. Mangeot, Quid Plato de anima post mortem senserit, 137.

Ae. Orth, Lucretiana 1959, 139.

J. Jiménez, Latina lingua communis sit inter doctos homines, 189.

J. Mir, Iterum de faciendis novandisque verbis latini, 203.

Ae. Orth, Lucretiana 1959, 209.

1960. — *J. Jiménez*, De ratione et via ad communem linguae latinae usum, 1.

J. van der Besselaar, Philologiae oratione una de bonis litteris sedulo colendis, 12.

L. M. Sansegundo, De varia M. T. Ciceronis epistularum inscriptione, 34.

C. Etchenseer, Quod praeceptum ei sit observandum, qui vult scribere latine, 65.

N. Mangeot, Aeneas in Orcum descendit, 75.

Ae. Orth, De Galeno Pergameno, 86.

G. B. Beach, Plura de latina lingua inter iter doctos communi, 94.

Ae. Orth, De Ciceronis Logica, 129.

N. Mangeot, De Nymphis et Musis, 139.

Card. Antonius Bacci, 193.

N. Mangeot, De C. Tacito optimo rerum scriptore, 195.

Ae. Orth, De Ammiano Marcellino, 199.

B. Actensis, Cur sermo latinus in usum redigendus sit, 207.

Narrationes et fabellae

1959. — *J. C. Schoenberger*, Nuntius Suebicus, 71.

J. Aramendia, Nuntia varia accipite, pueri, 154.

M. Molina, Duo eadem via mendici, 218.

J. Mir, Relationes loci, 222.

Carmina

F. R. Aloise, Nausicaa, 25.

J. Matteocci, Maria, 88.

M. Paolillo, Quam mox?, 89.

A. Guercio, Sacra aera personant, 155.

A. J. López, Admonitio, 156.

N. Mangeot, Coemeterium, 157.

R. Avallone, Ex stellis tu descendis, 158.

J. Morabito, Minois Aemulus, 214.

J. Fábregas, Dilectis Del, 226.

1960. — *J. Eberle*, Ad poetas, 19.

F. Aloise, Thynnorum piscatio, 20.

M. Paolillo, *F. Aloise*, Portus, 80.

J. Ijsewijn, Carmina latina ex Unione Sovietica, 143.

J. Ijsewijn, Hippolytus Galante. — De Vita sua I, 147.

- R. Sarmiento, Ad Amicum*, 149.
J. Matteocci, Via Crucis, 151.
R. Avallone, Orat Puella, 153.
J. Bruno, Olympia, 210.

Epistularum inter socios commercium

1959. — *J. Ijsewijn*. - *Mir, Avenirius*, 98.
J. Ijsewijn. - *Mir*, 159.
1960. — *M. M.*, Eclogariorum curator,
Epistularum eclogarum, 123; *Sociorum quaestis et epistulis responsa dantur*, 25, 27.
J. Ijsewijn. - *J. Mir*, 26.

Nova et Vetera

1959. — *J. Mir*, *Surrectio matutina*, 35.
 De tabaco I, 81.
 De tabaco II, 144.
1960. — *J. Mir*, *Dactylographum*, 28.
 Schola, 97.
- J. Mir*. - *J. Holzer*, *Iterum de «Tabaco»*, 154.
J. Mir, *Summus sum birotarius...!*, 215.

Per Orbem

1959. — *J. Sidera*, 40, 103, 161, 229.
 1960. — *J. Sidera*, 37, 103.
 M. M. 171,

Collectanea

1959. — *J. Sidera*, 164.

Dialogi

1959. — *L. M. Sansegundo*, *De macte et pinguedine corporis*, 33.
M. Molina, *Nitus et Euryalus*, 149.

Nuntia Varia

1960. — *J. Aramendia*, 169; 214.

Bibliographia

1959. — *Brink, C. O.*, *Latin Studies and the Humanities*, 46.
 Encyclopédia «Estudio y Concurso». Diccionarios completos especializados, 46.
Babbit, F. C., *Plutarch's Moralia*, 46.
Ripert, E. *Ovide: Les Tristes. Les Pontiques*, 47.

Titmus, R. M., *The Social division of Welfare*, 47.

Von Rubin, B., *Prokopios von Calsarea*, 47.

Sciacca, M. F., *El hombre, este desequilibrado*, 48.

Pire G., *Stoïcisme et Pédagogie*, 48.

Krahe, H., *Germanische Sprachwissenschaft: I Einleitung und Lautlehre; II Formenlehre*, 48.

Berdiaev, N., *Autobiografía Espiritual*, 49.

Certamen Capitolinum VIII MDCCCC-LVII, 49.

Speranza, F., *Commento mitologico inedito all'Achilleide di Stazio nel cod. napoletano IV*, 49.

M. Paolillo - F. Aloise, *Maxima rerum: Roma*, 50.

Díez del Corral, L., *La función del mito clásico en la literatura contemporánea*, 50.

Penagos, L., *S. J.*, *Gramática Griega — Ejercicios*, 50.

Ayuela, J., *S. J.*, *Florilegio Latino*, 51.

Serafini, A., *Studio sulla Satira di Giovenale*, 52.

Drexler, H., *Hexameterstudien V und VI*, 51.

Koch, A., *Sancho, A.*, *Docete*, 52.

Georgin, Ch., *Dictionnaire Grec-Français*, 52.

Lurquin G., *Mathé's. Manuel de culture grecque*, 52.

Steidle W., *Sueton und die antike Biographie*, 110.

Rose, H. J., *Griechische Mythologie*, 110.

Paoli, H. H., *Ciceronis filius*, 111.

Errandonea, I., *S. J.*, *Sófocles: Investigaciones...*, 111.

Br. A. Anthony Moon, T. LXXXVIII. *The De natura boni* of St. Augustine, 112.

O'Reilly, M. V., T. LXXXIX: *St. Aureli Augustini De excidio urbis Romae sermo*, 112.

Liguori, G. Müller, O. F. M., T. XC: *The De haeresisibus* of St. Augustine, 113.

Lesousky, A., T. XCI: *The «De dono perseverantiae» of St. Augustine*, 111.

Conway, M. G. E., *Thasci Caecili Cypriani «De bono Patientiae»*, 113.

Niermeyer, J. F., *Mediae Latinitatis lexicon minus*, 111.

- Stégen, G., Les Épîtres Littéraires d'Horace*, 4.
- Rodríguez Brasa, S. S. J., Stilistica latina*, 114.
- Carro - Flórez, E., Prosodia et Ars metrica latina*, 114.
- Vera, P., Prudenzio: Le Corone*, 115.
- Vilemain, P., Confessions de Numida*, 115.
- Guaglianone, A., Aviani «Fabulae»*, 115.
- Oliver, B., El legado de Cicerón*, 116.
- Koskenniemi, H., Studien zur Idee und phraseologie des griechischen Briefes bis 400 n. Chr.*, 116.
- Monaco G., Il libro dei ludi*, 116.
- Oscar O., Iscrizioni Pompeiane. La vita pubblica*, 117.
- Domeniconi, A. - Gnauck. B., Come si dice?* 117.
- Gentile, P., Il genio della Grecia*, 118.
- Renucci, P., Dante*, 118.
- Poncelet, R., Cicerón traducteur de Platon*, 118.
- Pareti, L., Funatoli, G., Valori, A., Borda, M., Cato Giulio Cesare*, 119.
- Beuagraud, J., Laguerre, G., Simon, S., Découverte du Latin par les civilisations méditerranéennes*, 120.
- Lancelot, C. Cheppard, Don Bosco*, 120.
- Atti dell'Accademia Properziana del Subasio - Assisi*, 167.
- Ovide, Les Tristes, Les Pontiques, Ibis*, 167.
- Goette J., Vergil - Aeneis und die Vergil Viten*, 167.
- Hjalmar F., Griechisches Etymologisches Wörterbuch*, 168.
- Lekeux, M., O. F. M., El arte de orar*, 168.
- Università di Genova, Serta Eusebiana*, 168.
- Vox, Diccionario encyclopédico compendiado*, 169.
- Schökel, L. A., S. J., La formación del estílo, I. del alumno*, 169.
- Rey, J. S. J., Preceptiva literaria*, 170.
- Arvant (Auer Wilhem), Carmina Selecta*, 171.
- Rey, J. S. J., Verbum Del*, 171.
- Ott, L., Manual de Teología Dogmática*, 171.
- Copleston, F., Filosofía contemporánea*, 172.
- Todd, J. M., Las fuentes de la moral. Symposium católico*, 172.
- Curotto, E., Dizionario della Mitologia Universale*, 172.
- Soltero González, C., El «Apéndice Virgiliano», 173.*
- Blanco Freijeiro, A., Arte Griego*, 173.
- Laloup, J., Bible et classicisme*, 174.
- Amado, A., Materia y forma en poesía*, 1, 4.
- Couton, G., Corneille*, 175.
- Junquera, S., S. J., Esquemas y Ejemplos*.
- Cataudella, Q., La novella Greca*, 176.
- Paoli, U. E., Il latino maccheronico*, 176.
- Delannois, M., Virgile. Le Chant VI de l'Eneide*, 238.
- Gansiniec - Parandowki - Morstin, Teofilakt Symokatta Listy. Teofilact Simocattae epistolae*, 238.
- Volckringer, J., Lexicum latinum-gallicum ad pharmacopoeas redigendas*, 238.
- Eherle, J., Laudes*, 239.
- Afro Terencio. P., Comedias: La Adriana*, 240.
- Mgr. C. Cerfaux et P. Houssiau, L'Antiquité - Le Proche Orient*, 240.
- Michaux, M. et Housiau, P., L'Antiquité - La Grèce*, 240.
- Michaux, M. et Loonbeek, R., L'Antiquité - Rome*, 240.
- Certamen Capitolinum VIII MDCCCC-VIII*, 241.
- Lyn, P., La exploración del fondo del mar*, 242.
- Tilmont J., Atlas Classique*, 242.
- San Juan Crisóstomo, De la vanagloria y de la educación de los hijos. Homilia sobre Job*, 243.
- Wilhem - Brandenstein - Manfred Mayrhofer, Antiguo Persa*, 243.
- Bizos, M. et Desjardins, Cours de thème latin*, 243.
- Jung... C. J., El Yo y el inconsciente*, 244.
- Terenci Afer, Comèdies, L'Eunuc; Formio*, 244.
- IN OPERCULIS;*
- Anthologia Graeca. - Band II, et Band III.*
- Seneca, L. A., Qüestions naturals.*
- Papini, E., Silves I; v. II.*

- Vergili Maro, P., Bucoliques.*
- Pindar, Odes, Volum I: Olímpiques.*
- Haering, B., Fuerza y flaqueza de la Religión.*
- Ballotto, Fr., Platone, Apología di Socrate.*
- Drinkwater, F. H., Historietas Catequísticas.*
- Maas, P., Textkritik.*
- Olivier, Turpin, Méthode latine.*
- Shakespeare, W., Romeo i Julieta. Otelo. Macbeth.*
- Platò, Diálegs: Menó. Alcibíades*
- Pernot M., Le latin au B. E. P. C.*
- Lazzarini, A., Juan XXIII, Angelo Giuseppe Roncalli.*
- Schreyer, L., Inés y los Hijos de la Loba.*
- 1960. — Toffanin, G., L'Arcadia, 36.**
- Sobrino, G., El epíteto en la lírica española, 41.*
- S. Agustín, La Ciudad de Dios. Libros III-V, 42.*
- Recherches Augustiniennes, 42.*
- Calloni Cerretti, G., Tertulliano: Vita, Opera, Pensiero, 42.*
- Altheim F., Roemische Geschichte, 43*
- Barint, C., Ornatus multebris. I gioielli e le antiche romane, 43.*
- Salvatore A., Studi Prudenziiani, 43.*
- Apollonio Rodio, Le Argonautiche, 44.*
- Coseriu, E., La Geografía lingüística, 44.*
- Coseriu, E., Logicismo y Antologismo en la gramática, 44.*
- Zannier, G., Ensayo paleográfico sobre las abreviaturas latinas de la edad romana, 44.*
- Beckby, H., Anthología graeca, 45.*
- Pindar, Odes. Volum II. Olímpiques, 45.*
- Martín, A., Encyclopédia del idioma, 45.*
- Lexicon mediae et infimae latinitatis Ponorum, 46.*
- Leglise P., Une oeuvre de précinéma, L'Énéide, 46.*
- Martínez Márquez, E., S. J., Vigencia del Ratio Studiorum de la Compañía de Jesús, 47.*
- De Romilly, J., La crainte et l'angoise dans le théâtre d'Eschyle, 48.*
- Pighi, G. B., I ritmi e i metri della poesia latina, 48.*
- Freire, A., S. J., Retroversão latina, 48.*
- Lucrezio, De rerum natura, 49.*
- Paoli, U. E., Vita romana, 49.*
- Staudinger, J., La vida eterna, misterio del alma, 50.*
- Speranza, F., Per la tradizione testuale e scolastica dell'Achilleide di Stazio, 50.*
- Speranza, F., Note sulla Cronologia di Papino Stazio, 50.*
- Bornemann, Lateinische Sprachlehre, 51.*
- Bornemaan, Lateinisches Unterrichtswerk, 51.*
- Traval y Roset, M., S. J., Prodigios eucastricos, 51.*
- Valsa, M., Marcus Pacuvius, poète tragique, 52.*
- Tucidides, Historia de la guerra del Pelopónes, 52.*
- Sofocles, Tragédies: Edip Rei. Ajax, 52.*
- Brandenstein, W., Griechische Sprachwissenschaft, 52.*
- Noiville, R., La première année du latin, 107.*
- Lamaison, J., Grammaire latine, 107.*
- Pereira, S. B., Sub Athenarum caelo, 107.*
- Ovidius Naso, P., Heilmittel gegen die Liebe, Gesichtspflege, 108.*
- Ricciotti, G., La Bible et les découvertes récentes, 108.*
- Motta, S., Traduciamo insieme, 108.*
- Pettazzonni, R., L'Essere supremo nelle religioni primitive, 109.*
- Pernot, M., Le latin au B. E. P. C., 109.*
- Rousselet, M., Grammaire élémentaire du latin, 109.*
- Rousselet, M., Exercices latines, 109.*
- Von Wartburg, W., Von Sprache und Mensch, 110.*
- Montoliu, M., Les quatre grans cròniques, 111.*
- Busch, W., Paoli, Fabellae pueriles, 111.*
- Busch, W., Paoli, Maximi et Mauriti maefacta 111.*
- Roger, G., Manuel de latin, 111.*
- De Kisch., F. et M., Manuel de latin, 111.*
- Roger, G., F. et M. de Kisch., Grammaire latine de basse, 111.*
- Marthy-M., Carnet de vocabulaire latin, 112.*
- Camps Sarró, F., Manual de gramática española, 113.*
- Eberle, J., Interview mit Cicero, 113.*
- Hano, A., Langue latine, 113.*

- Sófocles. Las siete tragedias*, 114.
- Galiano, El descubrimiento del amor en Grecia*, 115.
- Büchner, K., Humanitas romana*, 115.
- Eisenhut, W., Dictys cretensis*, 115.
- Wiesenthaler, F., Die Oratio Obliqua als Kunstlerisches Stilmittel in den Reden Ciceros*, 116.
- Schwartz, E., Gesammelte Schriften*, 172.
- Paoli, U. E., Cane del Popolo*, 172.
- Pighi, G., La poesía religiosa romana*, 172.
- Eberle, J., Lob des Lateins*, 173.
- Tácito, Vida de Julio Agrícola*, 173.
- Comillas. Estilística latina*, 173.
- Perri, F., Nel paese dell'ulivo*, 174.
- Fortina, M., Epaminonda*, 174.
- Treu, Archilochos*, 174.
- Tacitus, Historien*, 175.
- Rohlfs, G., Manual de filología hispánica*, 175.
- Prudenzio A. Cl., Cathemerinon*, 175.
- Valeri Marcial, M., Epigramas*, 176.
- Séneca, L. A., Qüestions naturals*, 176.
- Bilinski, B., Accio ed i Gracchi*, 176.
- Portalupi, F., Il futuro predicente latino*, 176.
- Portalupi, F., Sulla corrente rodiese*, 176.
- Sant' Ambrogio, De Fuga saeculi*, 177.
- Doria M., Interpretazioni dei testi micenei*, 177.
- Milano, E., Come ti chiami?*, 177.
- Menge, H., Lateintische Synonymik*, 177.
- Adro, X., Cara a cara*, 178.
- Carlo del Grande, Phorminx*, 178.
- Virgilio, Le bucoliche*, 178.
- De Lacroix, M. J., Albius ou L'expédition d'un officier romain en Gaule*, 179.
- Andreani, M., Temi svolti di latino*, 179.
- Ferrero, L., Letteratura latina*, 179.
- Amedeo, M., Pompei ed Ercolano*, 180.
- Foucault, J. D., Pratique du latin*, 180.
- Clarac, P., La Fontaine*, 180.
- Hjalmar, F., Griechisches etymologisches Wörterbuch*, 181.
- Oerberg, H., Lingua latina secundum rationem naturae explicata*, 181.
- Rosemblat, A., Ortega y Gasset: Lengua y estilo*, 181.
- Boletín de Dialectología Española*, 181.
- Eberle, J., Stunden mit Ovid*, 182.
- BraceLand, F., Fe, Razón y Psiquiatría moderna*, 182.
- Nauton, P., Atlas linguistique et ethnographique du Massif Central*, 182.
- Perret, J., Le verbe Latin*, 183.
- Koch, A., S. J., La vida de Perfección*, 183.
- Fischer, H., Introducción al «Catecismo católico»*, 184.
- Bolgiani, F., La Conversión de S. Agustino*, 184.
- Krefeld, H., Die Gedichte des Archipoeta*, 234.
- Pérez, R. S. I., El concepto de filosofía en los escritos de Platón*, 234.
- Eisenhut, W., Die Lateintische Sprache*, 234.
- Carrozzini, L., Latinitas christiana*, 235.
- Ernst Heimeran und M. Hofmann, Antike Weisheit*, 235.
- Platón, Phaidón*, 235.
- Cicero, M., Tullius, Atticus-Briefe*, 235.
- Creus Vidal, L., Introducción a la Apología*, 236.
- Cicerone, Cicero on the Art of Growing Old*, 236.
- Arizti Azkarraga, Tacito*, 256.
- Penagos, L., S. J., Gramática Española*, 237.
- Linet H. et Renard R., Guide Bibliographique pour les Professeurs de langues anciennes*, 237.
- W. Van Rijckevorsel et Ch. Lambotte, S. J., De latin en Cinquième*, 238.
- Lucrezio, «De rerum natura»*, 238.
- Stolz, G., Approach to oral latin*, 239.
- D. Gray, Mason and Jenkins, Thornton, Latin for Today*, 239.
- Paoli, H., Fabellae tres. Indorum Sapientia*, 239.
- Fraenkel, E. Horace*, 240.
- Thumb, A., Scherer, A., Handbuch der griechischen Dialekte*, 240.
- Mazzarino, S., La fine del mondo antico*, 241.
- Gemelli-Zunini, Introducción a la Psicología*, 242.
- Blanco García V., La lengua latina en las obras de San Agustín*, 242.
- IN OPERCULIS**
- Rhaner, H., Griechische Mythen in Christlicher Deutung*.

Badia, A., VII Congreso Internacional de Língüística Románica

D'Anna, G., Il Problema della composizione dell' Eneide.

Cupatulo, F., Iter latinitatis.

Cupatulo, F., Guida a tradurre in lingua latina

Brems, Gráficos ilustrativos del Catecismo Católico

Jungmann, J. A., Catequética.

Bargellini, Panorama histórico dell' arte.

D'amore, L., Sine ira et studio.

Hiltbrunner, O., Latina Graeca.

Thummer, E., Dic Religiositate Pindars.

Mentor Latin, Editions des Mentors.

Tacitus, Historien

Rodon, B. E., El lenguaje técnico del feudalismo en el siglo XI en Cataluña.

Albizu y Gado Costa, Manual del Catecismo Católico y Dios y nuestra redención.

Jiménez, J. - Mesa, Tito Livio, libro primero.

Jiménez Delgado, J. Gramática latina, y Repetitorium

Palaestra Adulescentium

Narrationes et fabellae

1959. — *E. Tejerina Canal, Hanselus et Greta*, 54.

N. Mangeot, Inter serpentes, 56.

M. Molina, In schola latine canamus, 61.

A. Redi, Divus Franciscus Assisiensis et turtures, 62.

Latorre, Ramos, Pérez, Sesamí horreum, hiscel, 122.

P. Piazza, Marcus píger, 126.

Avenarius, Vera et formidolosa res, 178.

J. A. Marqués, De morte S. Tharsicii, 180.

Zuasti, Iter ad mare, 185.

Iturria, Messis, 185.

Jover, Era et Imperator, 186.

1960. — *N. Mangeot, Latrones noctu domum irrumpunt*, 54.

J. A. Marqués, De singulari ursi venatione, 60.

P. Piazza, Due sorores, 63.

B. Rodríguez, Novissimum vulpis facinus, 118.

J. Palou, De mirabili eventu Domini Quikoti, 120.

F. García, Lupus et ovis, 121.

1960. — *N. Mangeot, Fericulosa cum bestia pugna*, 162.

M. Garro, «Urkulu» pons in Cantabria, 187.

N. Mangeot, Est pullus in ovo, 190.

L. Kemps, De floribus, 253.

J. A. Salinas, Dux vulpum, 254.

Cantus

1959. — *Jam frigus abiit*, 61.

In schola latine canamus, 127.

Bethlem, pastores, venite, 251.

In turri per auras, 188.

1960. — *Perit gallus pro dolor!*, 64.

Recubate molliter, 128.

Barbapum, 192.

Nunc galli concinunt diem, 250.

Miscentes utile dulci

1959. — Pag. 184; 250.

1960. — Pag. 25.

Picturae

1959. — *Ramón. Servius Tullius*, 58.

Tarquínus Superbus, 125.

L. Junius, 182.

Horatius Cocles, 248.

1960. — *Ramón. C. Muclius Scaevola*, 58.

C. Marcius Coriolanus, 123.

Gentis Fabiae virtus militaris, 188.

De gentis Fabiae pro patria clade, 251.

Curiosa et Jocosa

1959. — Pag. 63; 128; 186; 252.

1960. — Pag. 63; 126; 192.

Huxley, H. H., Aenigma, 251.

Commercium epistulare

1960. — *De alumnorum commercio epistulari*, 124, 251.

Index puerorum qui inter se latine dare litteras volunt, 125.

J. L. Delmas-C. Latorre, 57.

Carmina

1960. — *J. Beltrán, Obscurae venient rur sus hirundines*, 60.

E. Martín, Orate, Fratres, 61.

B I B L I O G R A P H I A

RODON BINUE, EULALIA. — *El lenguaje técnico del feudalismo en el siglo XI en Cataluña.* (Contribución al estudio del latín medieval). Escuela de Filología. Barcelona 1957.

Ut vel ipse libri index declarat, spect. Femina doctrix Eulalia Rodón praefinitam provinciam sibi investigandam suscepit: sermonem nempe technicum in Catalonia saeculo XI quod ad «Feudalismum» attinet... Saeculum XI seligit quod eo tempore formae ab exteris gentibus exceptae, vigebant una cum formis autochthonibus, simulque earum formarum vis et sensus ex ipsis institutionibus tum vigentibus apparet. Si autem ad verbum quoddam illustrandum requiritur, investigatio ad saeculum X et XII hic inde provehitur.

Liber optimam operam confert cognitioni sermonis latini medii aevi et etiam — ita ego credo — sermonis hispanici (vel potius linguarum hispanicarum recentiorum), nam plurima verba his sermonibus hodie communia aptissime illustrantur ex modo quo saeculo XI «beneficiarii seu «feudatarii» his verbis usi sunt vel ex verbis cum germanicis tum gallicis in latinum translatis vel ex catalaunicis in latinum et vice versa.

Ex his fontibus maneres percipies verba hodie usitatissima: «vasallo, castellano, cabalgata, homenaje, mesnada (mainada catalaunice), caballero, villano, bachiller, cet...»

Uno verbo hoc libro et latinitatem mediae aetatis et sermones romanicos saeculi XX, praesertim hispanicos, melius cognosces.

Doctrrix Eulalia Rodón opus multi quidem laboris et constantiae in felicem perduxit even-tum, ipsique laudi vertendum est quod et bibliographia adhibita et ordine quo rem totam

disposit et indicibus, et praesertim ipsis rebus actis opus philologis utilissimum perfecit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

Manual de Catecismo Católico, t. I y II.

Temas 1-21 y 22-44: *Dios y nuestra redención.* Traducción del alemán por J. L. Albizu y J. Godó Costa. 293 y 354 pg. Editorial Herder, Barcelona 1959.

Opera catechistica Domus Editricis Herder omnibus sane laudanda, cum adeo religionis institutioni faveant et parentibus et catechistis rerum et cognitionum copiam praebeant. In his operibus constant quae inscribuntur *Catecismo Católico*, *Gráficos Ilustrativos del Catecismo Católico*, *Historietas Catequéticas*, *Catequética*, *Manual del Catecismo Católico*, de cuius operis primo et altero volumine lectores nostros facimus certiores.

Primo volumine res seu argumenta 1-21 («Dios y nuestra redención», 1.^a serie) operis cui index *Catecismo Católico*, amplissime explicata et enodata continentur. Altero volumine argumenta 22-44 («Dios y nuestra redención», 2.^a serie) ejusdem operis pari et scita ratione religionis tradendae evolvuntur.

In utroque volumine praecipua scientiae paedagogicae elementa ante oculos habentur, quae jam inde a temporibus Ecclesiae patristicis tuto in usu fuerunt et desumuntur, quaeque vivum nostra aetate nuntium Evangelii et explicationem catechumenis tradendam efficiunt. Cum utriusque voluminis uberrima copia sit simul atque tutissima doctrinae et argumentorum, iis qui juventutis institutioni vacant, magno duo volumina emolumento et utilitati ducimus et commendamus.

M. MOLINA, C. M. F.

JIMENEZ, J. — MESA, C. E., C. M. F.
— *Tito Livio, libro primero*, Introducción y comentario gramatical, histórico y estilístico. Editorial Cocolsa, Madrid 1960, 199 pg.

Sub indice qui prostat Domus Editrix Cocolsa novam seriem seu collectionem init operum didacticorum quae brevi aliis operibus ornabitur et locupletabitur. Cum majus in dies incrementum universitariae juvenum institutioni afferatur, auctores qui hunc libellum exararunt, iis qui ad examen ingressus in Universitatem sese accingunt, eum dedicatum volunt. Quibus scholasticis universitariis haud parvae utilitati erit hic primus liber T. Livii, praesertim cum in eum praeparandum maximo opere incubuerint duo viri rerum livianarum peritissimi; Pater enim Jiménez, C. M. F., doctoralem habuit olim thesim de T. Livii religione maximo praemio insignitam.

Textus libri primi locupletissimo prooemio de vita, operibus, dicendi genere, gloria maximi historici romani illustratur; cui prooemio ab auctoribus adjungitur utilissima studentibus de re notitia bibliographica ad editiones, lucubrationes, opera auxiliaria pertinens. Praecipuae textus difficultates enodantur ope notularum grammaticarum, historicarum, stilisticarum. Opus perutili vocum philologicarum indice finitur.

Ambigere non possumus quin hic libellus primus collectionis «Textos Claret» quae inscribitur, tanti fautoris bonarum litterarum in Seminariis hispanicis auspiciis in lucem editus, latinitati colenda merito sit profuturus.

J. JIMENEZ DELGADO, C. M. F. — *Grámatica Latina*. Grado elemental, 3.^a edic. 190 pg.; *Repetitorium, Prácticas de Latín para los primeros cursos*, 3.^a edic. 206 pg. Gráficas Claret, Lauria, 5, Barcelona (10). 1960.

P. J. Jiménez, C. M. F. Decanus Humanarum Litterarum in Universitate Pontificia Salmanticensi, hoc novo indice «Gramática Latina» nuper retrac-tavit quae prioribus operibus «Latín Primero, Segundo, Tercero y Cuarto» inscriptis ipse juxta normam baccalaureatus anni 1938 de re egerat. Opus aptissimum judicamus tum alumnis in Seminariis et Scholis Apostolicis tum in Institutis et Academiis studentibus, praesertim cum hujus modi textus qui vulgo manibus volvi solent, vel iis alumnis qui baccalaureatui superiori vacant ad plenam in lingua latina institutionem minime sufficient. Quapropter auctor consilium sibi proposuit tradere alumnis summam grammaticae latinae quae ad interpretandos optimos scriptores necessaria videretur, quin tamen simul mentes puerorum nimis haud utilibus cognitionibus gravarentur.

Repetitorium, quod inscribitur opus, *Grammaticam Latinam* perficit et compleet. In eo enim alumni et magistri exercitia, themata, res curiosas inventant: primum exercitia («longum iter per pracepta, breve et efficax per exempla») tum domi tum in schola exaranda; deinde themata seu de certis rebus argumenta quibus professor sive exarando sive dictando tempus non teret; res amoenas denique ut scholae gratissimae studentibus reddantur.

M. MOLINA, C. M. F.